JOACHIM NABUCO
SUAE SANCTITATIS PRAELATUS DOMESTICUS


PONTIFICALIS ROMANI

EXPOSITIO JURIDICO-PRACTICA

Functiones pontificales extraordinariae

TOMUS II
DE REBUS

PETROPOLI — BRASILIA
SUMPTIBUS EDITORA VOZES LTDA.
M CM XLV



Nihil obstat quominus imprimatur.

Petropoli, die 17 Octobris 1944.

FRIDERICUS VIER, O. F. M.
Censor.

IMPRIMATUR.

Petropoli, in festo sancti Petri de Alcantara,
Brasiliæ Patroni, die 19 Octobris, 1944.
Josephus, Epps Nictheroiensis.

ANSCHARIUS BELFORT
DIAGRAMMATA DELINEAVIT

SECTIO I

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA

SECTIO I

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

DE PERMISSU ECCLESIAM AEDIFICANDI ET DE OBLIGATIONE BENEDICENDI PRIMARIUM LAPIDEM

1 PERMISSUS.

1 — Nulla ecclesia aedificetur sine expresso ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen vicarius generalis praestare nequit sine mandato speciali. CJC 1162 § 1.

2 — Ordinarius consensum ne praebeat, nisi prudenter praeviderit necessaria non defutura ad novae ecclesiae aedificationem et conservationem, ad ministrorum sustentationem aliasque cultus impensas. Ibidem § 2 (1).

3 — Ne nova ecclesia ceteris iam exsistentibus detrimentum afferat, maiore fidelium spiritualium utilitate non compensatum, ordinarius, antequam consensum praebeat, audire debet vicinarum ecclesiarum rectores quorum intersit. Ibidem § 3. In jure habetur actio judicialis ex damno infecto. CJC 1676.

4 — Etiam sodales religiosi, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam vel oratorium publicum in certo ac determinato loco aedificent, ordinarii loci licentiam obtinere debent. Ibidem § 4.

2 OBLIGATIO. 1 — *Nemo ecclesiam aedificet priusquam... lapis primarius in fundamento ponatur.* PR. Ex qua rubrica, confirmata usu ubique recepto, concluditur benedictionem et impositionem primarii lapidis ecclesiae aedificandae esse praeceptivam. Praeceptum ad oratoria publica, quae eodem jure ac ecclesiae reguntur (CJC 1191), extenditur.

2 — Oratoria semipublica, si in forma ecclesiae construenda et solemniter consecranda vel benedicenda sunt, eodem reguntur jure ac ecclesiae quoad benedictionem primarii lapidis; est enim velut initium ritus consecrationis seu benedictionis.

CAPUT II

DE MINISTRO ET DE TEMPORE BENEDICTIONIS

3 MINISTER. 1 — Minister ordinarius benedictionis solemnis primarii lapidis ritu PR est episcopus ordinarius loci in quo ecclesia aedificanda erit. CJC 1157 et 1156. Episcopi extranei benedicere primarios lapides possunt de licentia loci ordinarii, est enim usus pontificalium. CJC 337 § 1, et 1157.

2 — Abbates benedicti possunt benedictionem dare pro ecclesiis ipsis subjectis (CJC 1156), et quidem ritu pontificali, sed ex urbanitate invitabunt loci ordinarium; nequeunt tamen invitari ad benedicendos primarios lapides ecclesiarum aliorum, cum eis prohibeatur usus pontificalium extra proprias ecclesias. DD 577; 768; 803; 873; 1815, II.

3 — Superiores maiores religionum clericalium possunt benedicere primarium lapidem ecclesiarum sibi subjectarum sed ritu RR (2). Laudabiliter tamen invitabunt episcopum loci ordinarium ad benedictionem solemniter impertiendam; nec poterunt alium episcopum invitare sine licentia loci ordinarii, saltem rationabiliter praesumpta. CJC 337 § 1.

4 TEMPUS. 1 — Primus ecclesiae lapis benedici potest quolibet die extra Triduum Sacrum; decet tamen seligere diem festivum vel dominicam; agitur enim de benedictione solemni cui populus intervenire debet.

2 — Licet benedictio lapidis fieri possit matutinis horis, laudabiliter tamen seligatur hora post meridiem. Si vero missa celebranda est, benedictio tempestive initium habeat, ita ut missa celebretur non serius quam hora prima post meridiem. CJC 821 (3).

CAPUT III

DE LAPIDE BENEDICENDO

5 *Lapis in ecclesiae fundatione ponendus... debet esse quadratus et angularis.* PR

Quatuor conditiones requiruntur ex parte lapidis, videlicet: 1.ª sit lapis; 2.ª sit quadratus; 3.ª sit angularis; 4.ª sex habeat cruces incisas.

1.ª SIT LAPIS seu saxum vivum et naturale. Proinde non satisfacit rubricis petra arte seu manu facta, vel e concreto ut aiunt. Hoc probatur ex ipsis verbis PR, quae de lapide loquuntur in titulo, in rubricis, et in ipso textu orationum. Jamvero lapis seu petra latino sermone est petra viva seu naturalis, minime vero compositum aliquod manu factum. Praeterea totus symbolismus lapidis ruit si lapis artificialis adhibeatur. Si ecclesia sit e concreto constructa, saltem lapis primarius erit naturalis (4).

2.ª SIT QUADRATUS, seu constet octo rectangulis et quatuor superficiebus aequalibus. Dimensiones petrae a jure non praescribuntur cum pendeant a dimensione uniuscujusque ecclesiae. Si ecclesia sit e silice construenda, tunc lapis primarius erit unus de lapidibus ecclesiae.

3.ª SIT ANGULARIS. Juxta rubricam PR lapis primarius angularis esto, quae quidem rubrica non caret mystico sensu; Christus enim, teste Paulo (Ephes. 2, 29), lapis est angularis et fundamentalis totius Ecclesiae.

4.ª SEX HABEAT CRUCES INCISAS. Praecipit rubrica ut ab episcopo per singulas partes petrae sculpentur cruces cum cultro. Haec tamen incisio tempore benedictionis impossibilis evadit; proinde necessarium est sculpi sex cruces ab artifice super sex facies petrae, super quas episcopus facit cruces cum cultro. Hae cruces permanere debent super petram ad perpetuam rei memoriam in signum receptae benedictionis, quod quidem impossibile est si ante non fuerunt sculptae (5). Praeter cruces, laudabiliter

sculpentur alia signa commemorativa, ut dies benedictionis, nomen episcopi, fundatorum, et alia memoria digna.

6 LOCUS. Lapis primarius ponendus est in angulo dextrorso ecclesiae qui proximior est altari maiori, utpote digniori. A rubricis non determinatur utrum petra locanda sit in parte interiori vel exteriori parietis. In observantioribus ecclesiis, et etiam principalioribus aedificiis profanis, lapis primarius poni solet in parte exteriori circa basim, ita ut possit ab omnibus videri. Nam, licet vocetur lapis primarius, non est absolute necessarium ut sit chronologice primus, nec necesse est ut sit sub solo, sufficit ut ponatur ad basim ecclesiae. Si petra locetur in angulo externo parietis circa basim, cruces cum inscriptionibus in perpetuum retinebunt memoriam initii aedificationis.

7 RES SEPELIENDAE. Solet, nostris praesertim temporibus, sepultari, una cum primo lapide, pergamena seu instrumentum benedictionis, denaria, aliaeque res commemorativae; usus certe laudandus, licet praeter rubricas. Pergamena et res sepeliendae solent claudi in arca plumbea, quae, in sepulcro, subter ipsum lapidem tempestive parato, locabitur, ipsoque lapide benedicto claudetur. Diagramma I.

TITULUS II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS ECCLESIAE

CAPUT I

CLERUS BENEDICTIONIS ET REGULAE SERVANDAE

8 ADERUNT:

Pontifex.
Sacri ministri (6).
Caeremoniarum magistri duo.
Ministri quatuor de mitra, baculo, libro et scotula.
Ministri tres pro cruce et intorticiis.
Minister unus de aqua lustrali.
Cantores quatuor vel sex seu schola.
Notarius.
Cementarii duo vel quot necessarii ad imponendum lapidem.

9 EPISCOPUS utitur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius. Cum officium fit in cantu, pontifex cantabit orationes omnes; clara voce sine cantu tamen aquam benedicit, utpote elementorum praeparatio; episcopus non recitat partes scholae.

DIACONI officium erit episcopo mitram imponere et auferre; hyssopum et scultrum cum suetis osculis tradere.

Ad FLECTAMUS GENUA omnes genuflectunt unico genu versus crucem hastatam, exceptis episcopo, crucifero cum ceroferariis, ministris libri et candelae.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

10 COLOR: albus

ART. I — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI

❯ Prope ecclesiam aedificandam parabitur locus pro vestitione episcopi et functionis initio, ibique parentur :

SEDES CAMERALIS super tapeto.

SUPER MENSA VEL ALTARI, alba tobalea cooperto :

Pro episcopo:

Amictus; alba cum cingulo; pluviale simplex cum stola; quae erunt velo cooperta.
Formale in lance, si celebret ordinarius.
Mitra auriphrygiata.
Vela duo pro mitra et baculo.
Lanx pro cruce pectorali.
Pontificale, pars 2.ª.
Scotula cum cereo.

SUPER ALIA MENSA

Pro sacris ministris :

Amictus duo; albae duae aequales cum cingulis; stola diaconalis; bireta duo.

Pro clero universo :

Superpellicea et bireta.
Libri parvuli cum benedictionis ritu cum musicis notis. Desclée n.º 595.

IN LOCO CONGRUO :

Crux hastata.
Intortitia duo (sine candelabris).

11 ART. II — IN LOCO FUTURAE ECCLESIAE

1 — Paranda erit crux lignea altitudinis duorum metrorum vel circiter, et determinandus locus ubi altare maius ecclesiae erit construendum, cum crux ibi erit figenda.

2 — Ad angulum dextrorsum ecclesiae, qui propior est altari maiori circa basim seu fundamenta, praeparabitur locus aptus ad recipiendum lapidem benedictum; et, si necesse sit, construentur fundamenta ad petram benedictam firmiter adaptandam. Parabitur petra benedicenda et utensilia adhibenda uti funalia et sustentacula ad petram in loco reponendam; trullae et cementum. Lapis ita suspendatur ut episcopus possit facile sex cruces videre ad illas benedicendas. Diagramma I.

❯ Provideatur ut fundamenta ecclesiae per circuitum sint aperta vel saltem delineata et mundata, necnon libera a populo, ita ut episcopus possit ea circumire et aspergere.

In medio ante crucem ligneam :

Stratum ligneum tapete coopertum sufficiens pro episcopo cum suis ministris et super illo :

Faldistorium sua veste ornatum cum pulvinari et scabella duo nuda.

Ad crucis dexteram aderit mensa alba tobalea cooperta qua super :

Pro benedictione aquae lustralis :

Concha plena aqua munda.
Vasculum pro aqua benedicenda.
Cochlear ad illam hauriendam.
Sal in lance et cochlear parvum.
Manutergium.
Hyssopum ex herbis virentibus, albo serico circumligatum.

Ad crucis sinistram aderit alia mensa pariter cooperta qua super :

Instrumentum de rebus gestis, ab episcopo et aliis praesentibus subscribendum, pergamena exaratum.
Atramentum cum calamo.
Arca plumbea cum ephemeridibus atque numismatibus.
Sculprum cum manubrio.
Canon pontificalis.
Tabella indulgentiarum.

Pro clero utrimque :

Scamna oblonga.

Suggestum, si habeatur sermo.

12 SI MISSA SIT CELEBRANDA super stratum ligneum (inter crucem ligneam et faldistorium) parabitur altare, cum ara consecrata et tribus tobaleis, inde ab initio functionis et super ipso res ad benedictionem aquae adhibendae, ibique pontifex aquam benedicit. Candelabra cum cereis et crux cum imagine crucifixi apponentur expleta benedictione seu ad missam tantum; aderitque thronus, si loci ordinarius in cappa vel paratus missae solemni assistere maluerit; ceteraque adsint in missae celebratione adhibenda.

13 PRIDIE BENEDICTIONEM lapidis episcopus ipse si maluerit, vel rector ecclesiae aedificandae de ordinario loci mandato superpelliceo indutus, adjuvantibus aliquot clericis pariter indutis, privatim infigit crucem ligneam in loco ubi aedificandum erit altare maius, ibique eam firmabit.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

14 ART. I — PRAEPARATIO

Vestitio ministrorum

1 — Hora statuta a magistro caeremoniarum, sacri ministri induunt se sacris vestibus et clerus superpelliceis; deinde procedunt omnes ad locum ubi episcopus exspectandus est; sacri ministri vero episcopum exspectabunt prope sedem ejus.

Adventus episcopi

2 — Episcopus recipitur sine aqua benedicta et procedit ad sedem ei paratam et sedet. Sacri ministri, facta episcopo reverentia seu genuflexione, se sistunt utrimque, ceteri stabunt in locis suis ad monitum caeremoniarii.

Vestitio episcopi

3 — Caeremoniarius 2us. sacras vestes pontificis clericis distribuit, qui more solito se praesentant coram episcopo qui dimittit habitum choralem, et a diacono, adjuvante subdiacono, induitur sacris vestibus et accipit mitram.

Crucifer sumit crucem et clerici duo intorticia et ad sinistram pontificis se sistunt.

❯ Si celebret metropolita, crucifer ejus, pallio deposito, superpelliceum assumit.

Processio ad crucem ligneam

4 — Caeremoniarius 2us ordinabit processionem quo sequitur ordine :

Crucifer cum ceroferariis.
Cantores.
Clerus functioni assistens.
Pontifex, cum sacris ministris oras pluvialis sustinentibus.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro (cum Pontificali) et scotula.
Familiares episcopi.

❯ Si celebret metropolita, clerus assistens, capitulo excepto, locum sumit ante crucem.

Episcopus, accepto baculo, assurgit et reveretur crucem hastatam; sacri ministri caput bireto cooperiunt, et, ad nutum 1mi. caeremoniarii, processio iter arripit versus locum ubi pridie crux lignea posita fuit.

❯ Cum processio ad fundamenta ecclesiae pervenerit, si celebrans sit loci ordinarius seu praelatus superioris gradus, schola cantabit antiphonam *Sacerdos et Pontifex* vel responsorium *Ecce sacerdos magnus.*

Ad crucem ligneam

5 — Cum processio ad crucem ligneam pervenerit, crucifer cum ceroferariis se sistet ante eam, facie ad faldistorium versa; cantores et clerus ibunt ad loca ipsis parata, clerici inservientes se sistent suis locis in ordine circa mensas.

Episcopus, facta cruci reverentia cum suis ministris, sedet ad faldistorium, et parvam facit moram, dum omnes ad loca sua accedunt.

Aquae lustralis benedictio

6 — Episcopus surgit et pergit cum suis ministris ad mensam paratam pro benedictione aquae (7). Crux cum intorticiis se sistit retro post mensam facie ad pontificem versa; ministri de libro et scotula a sinistris episcopi et ministri de mitra et baculo stabunt versus dexteram.

Pontifex clara voce sine cantu aquam benedicit, advertens ut habeat mitram in capite et baculum in manu dum facit exorcismos salis et aquae, et ut deponat baculum et mitram pro orationibus et mixtione salis et aquae.

Finita benedictione, episcopus digitos tergit manutergio a diacono porrecto, a quo induitur mitra, deinde accipit baculum. Minister aquae lustralis vasculum aqua benedicta implet et se sistit a dextris diaconi. Episcopus cum suis ministris, praecedente cruce cum ceroferariis, revertitur ante crucem ligneam, ad eam versus, et omnes se sistunt ut prius.

15 ART. II — BENEDICTIO ET IMPOSITIO LAPIDIS

Aspersio loci altaris

1 — Episcopus reddit baculum ministro et a diacono accipit hyssopum. Schola canit antiphonam *Signum salutis* cum ps. 83 *Quam dilecta* et in fine *Gloria Patri,* sed non repetit antiphonam. Interim episcopus aspergit coram se in medio, a dextris et a sinistris, scilicet ubi altare erit aedificandum, et reddit hyssopum diacono. Ad *Gloria Patri* omnes caput cruci hastatae inclinabunt.

Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt qui, dimissa mitra, cantat orationem *Domine Deus,* advertens ut ad litteram N. adjungat nomen titularis, seu nomina titularium si sint plures aeque principales. Si titularis sit mysterium aliquod omittatur *Et beati* N. D 3241 III. Deinde iterum episcopus mitram induit et accipit baculum.

Lapidis benedictio et obsignatio

2 — Pontifex, medius inter sacros ministros, praeeunte cruce cum intorticiis et ministro aquae lustralis, sequentibus ministris insignium, procedit ad locum ubi lapis locandus erit. Caeremoniarum magister 1us. sculprum secum portabit.

Cum ad lapidem pervenerint, crux cum intorticiis se sistet facie ad pontificem, ministri de libro et scotula locum sument aliquantulum ad ejus sinistram.

Pontifex, depositis baculo et mitra, cantat recto tono versiculos introductorios ad benedictionem, advertens ut caput inclinet dum canit *Gloria Patri.* Responso *Sicut erat,* pontifex canit orationem *Domine Jesu Christe* et benedictionem *Domine sancte,* dextera lapidem benedicens; ad litteram N. adjungit nomen titularis seu titularium aeque principalium vel mysterii in cujus honore aedificanda erit ecclesia. D 3241, III. Ministri libri et scotulae recedunt aliquantulum, et diaconus episcopo hyssopum praesentat. Episcopus totum lapidem aspergit, et reddit hyssopum diacono.

Deinde Pontifex, accepto sculpro a diacono, ad lapidem accedit cum suis ministris, et super quamlibet crucem facit cruces tres cum sculpro, dicens singulis vicibus *In nomine Pa + tris et Fi + lii, et Spiritus + Sancti;* ministri quoties respondent *Amen.* Sex crucibus signatis, pontifex reddit sculprum diacono et hic caeremoniario, et ad locum suum redit.

Ministri libri et scotulae coram episcopo se sistunt, et ipse canit benedictionem *Benedic, Domine,* dextera iterum lapidem benedicens (RR); deinde induitur mitra et accipit baculum.

Litaniae

3 — Pontifex cum suis ministris, ordine quo venit, revertitur ad faldistorium et omnes se sistunt ut prius; reddito baculo ministro, episcopus genuflectit, omnibus pariter genua flectentibus.

Libriger pontificale apertum super faldistorium ponit et recedit cum ministro candelae. Minister de mitra flectit genua a dextris, et minister de baculo a sinistris episcopi retro post eum.

Cantores duo flexis genibus in medio litanias cantabunt, omnibus respondentibus. Diagramma II (8).

Collecta introductoria

4 — Finitis litaniis, assurgunt omnes et episcopus, deposita mitra, vertens se aliquantulum versus lapidem primarium, canit orationem *Actiones nostras* (9); deinde accipit mitram, se vertit, dum sacri ministri loca sua mutant, et sedet cum suis ministris.

Instrumenti lectio et subsignatio

5 — Notarius legit instrumentum benedictionis lapidis et initiationis ecclesiae, pergamena scriptum et in urna plumbea reponendum, cujus asservabitur exemplar pro archivo.

Notarius instrumentum super mensam ponit, et episcopus, ad eam accedens, illud subsignat et ad faldistorium redit et sedet. Accedunt deinde alii de clero vel de laicis, qui ad instrumentum subsignandum invitari decet, et unus post alium pergamenam subscribit, et redeunt ad loca sua.

Notarius deinde pergamenam cum numismatibus et ephemeridibus (si aderint) in arca plumbea recondit, eamque claudit.

Lapidis impositio

6 — Episcopus surgit et incipit antiphonam *Mane surgens Jacob,* pro qua se praesentabunt ministri de libro et scotula. Schola inceptam antiphonam perficiet, adjecto ps. 126 *Nisi Dominus* cum *Gloria Patri,* sed sine repetitione antiphonae.

Episcopus, accepto baculo, cum suis ministris, praecedente cruce cum intorticiis et ministro aquae lustralis, sequentibus ministris insignium, pergit iterum ad locum primarii lapidis ubi se sistit ut prius. Notarius ferens arcam plumbeam crucem sequitur.

Interim a cementariis parabitur, cum cemento tempestive praeparato, locus ubi lapis locandus erit.

Notarius arcam plumbeam in loco parato ponit.

Ad *Gloria Patri* omnes caput versus crucem inclinant, et, repetita antiphona, pontifex, reddito baculo, dextra super petram posita, canit recto tono *In fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento.* Deinde, amota manu, cum ea facit triplex signum crucis dicens *In nomine Pa + tris et Fi + lii et Spiritus + Sancti,* et junctis manibus prosequitur eodem tono *ut vigeat* usque ad finem, et respondet schola *Amen.*

Cementarii statim incipiunt collocationem lapidis in fundamento et, si adsit funis ad lapidem reponendum, caeremoniarius 1us. extremitatem ejus pontifici tradit, ut ipse quasi manu propria lapidem imponat fundamentis.

Cum lapis in fundamento positus fuerit, pontifex, accepto hyssopo a diacono, lapidem secunda vice aspergit dicens clara voce sine cantu antiphonam *Asperges me, Domine.*

Dum cementatur lapis, cantores recitabunt sine cantu, alternatim cum clero, ps. 50 *Miserere* cum *Gloria* in fine, sed non repetitur antiphona (10).

❯ Si adsit consuetudo, principaliores de clero et de populo adstante, praesertim vero fundatores, dum recitaur *Miserere,* invitentur a caeremoniario 1mo ad firmandum lapidem; uni post alium traditur sculprum, quo accepto, unusquisque lapidem percutit et recedit.

16 ART. III — FUNDAMENTORUM BENEDICTIO

Aspersio 1.mae partis

1 — Imposito lapide et finito psalmo, episcopus, accepto baculo, praeeunte crucifero cum intorticiis et sequentibus ministris insignium, procedit cum suis ministris ad fundamenta ecclesiae in abside retro altare maius; minister aquae lustralis ibit a dextris diaconi et cantores post cruciferum.

Pontifex baculum reddit ministro et accipit hyssopum, deinde inchoat antiphonam *O quam metuendus est,* pro qua se praesentant ministri libri et scotulae. Episcopus eodem ordine cum suis ministris incipit circumire 1am. partem fundamentorum ad dexteram suam, continuo fundamenta aspergendo. Diagramma II.

Schola inceptam antiphonam complebit, adjecto psalmo 86 *Fundamenta ejus* cum *Gloria* et repetitione antiphonae in fine.

Cum pervenerit episcopus ad finem fundamentorum dextrae partis, subsistit (11). Repetita antiphona, ministri libri et scotulae se praesentant et crux cum intorticiis se sistit coram episcopo, qui, reddito hyssopo, nudabitur mitra et cantabit collectam *Omnipotens et misericors,* praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum, et ita completur aspersio 1ae partis fundamentorum.

Aspersio 2.ae partis

2 — Pontifex incipit antiphonam *Pax aeterna* quae a schola complebitur, et, eodem ordine quo fecit in 1ma. parte, aspergit fundamenta ecclesiae versus januam, et partem transversalem usque ad initium lateris sinistri. Ibi episcopus subsistit et omnes se sistunt ut in fine aspersionis 1mae. partis.

Finita antiphona et reddito hyssopo, sed retenta mitra, episcopus cantat invocationem *Omnipotentem Deum,* ter dextera benedicens, et sic finis imponitur aspersioni 2ae. partis fundamentorum.

Aspersio 3.ae partis

3 — Pontifex statim incipit antiphonam *Bene fundata est* quae a schola complebitur cum ps. 121 *Laetatus sum,* cum *Gloria* et repetitione antiphonae in fine. Incepta antiphona, pontifex accipit hyssopum a diacono et procedit ad aspersionem 3ae. partis fundamentorum, seu usque ad locum initii.

Deinde episcopus pergit ante crucem ligneam, facie ad januam maiorem versa, habens coram se cruciferum cum intorticiis. Ministri

libri et scotulae se sistunt coram pontifici, qui, reddito hyssopo et nudato capite, cantat collectam *Deus qui ex omnium,* praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum; et ita completur aspersio fundamentorum. Minister aquae lustralis ad abacum recedit, officio suo expedito.

17 ART. IV — RITUS FINALES

Veni Creator 1 — Pontifex se vertit et redit ad faldistorium, ubi genua flectit cum suis ministris et aliis praesentibus, et, pileolo deposito, incipit hymnum *Veni, Creator* (12). Finito primo versu et accepto pileolo, pontifex assurgit et cum eo alii, et ad doxologiam omnes caput profunde cruci processionali inclinant.

Ministri libri et scotulae se sistunt coram pontifice qui cantat collectam *Descendat quaesumus* ad cantum hymni complendum; deinde canit collectam *Deus, qui in omni loco* ad benedictionem claudendam (13).

Benedictio 2 — Pontifex, accepta mitra, solemniter populum benedicit dicens *Sit nomen Domini benedictum,* accepto baculo cum dicit *Patris.*

› Si antistes sit metropolita, crucifer, sine ceroferariis, se sistit coram eo, qui, detecto capite, dabit more solito benedictionem solemnem.

Indulgentiae 3 — Data benedictione, pontifex sedet ad faldistorium et reddit baculum; deinde diaconus legit formulam indulgentiarum communem.

› Si episcopus velit exhortationem habere, priusquam populum benedicat, sedet, accepta mitra, et sic verbum ad populum habebit solemnitati congruum. Postea dabit benedictionem solemnem et indulgentias uti supra.

Discessus 4 — Caeremoniarius 2us. ordinabit processionem ad locum vestitionis, ordine quo venit; ibique episcopus, reddito baculo, sacras dimittit vestes et accipit chorales; sacri ministri recedunt ad vestes sacras dimittendas, et episcopus ad hospitium suum redit.

18 MISSA SOLEMNIS. Finita benedictione primarii lapidis, fas est missam celebrare, quae gaudet privilegio missae votivae pro re gravi, etiamsi sit lecta, et dicitur de sancto vel de mysterio qui in titulo dabitur ecclesiae. Fiunt commemorationes de duplicibus 2ae. classis, de dominica, de feria maiori, de rogationibus, de vigiliis vel octavis privilegiatis. Praefatio erit de communi, vel propria de ipsa missa votiva, et dicuntur *Gloria* et *Credo.* Si occurrat festum vel dominica 1ae. classis, vigilia Nativitatis et Pentecostes vel feria privilegiata, missa dicitur de officio occurrenti cum oratione de titulari (sancto vel mysterio) sub unica conclusione cum oratione diei. Rub. MR, add. et var. II, 9. Vide notam 3.

FINITA MISSA, episcopus sacras vestes dimittit et recedunt sacri ministri; caeremoniarius lus sive familiaris episcopo cappam imponit, qui missae solemni assistit, in qua omnia fiunt solito more.

TITULUS III

19 DE BENEDICTIONE LECTA PRIMARII LAPIDIS ECCLESIAE

› Ritus PR pro benedictione primarii lapidis est solemnis, solemniter proinde celebrandus, seu cum cantu et sacris ministris; nec rubricae admittunt functionem lectam, pro ea enim datur recursus ad ritum sacerdotalem RR, tametsi iste fieri solemniter etiam debeat. Nihilominus, licet contrarium sit rubricis, solent hic et illic episcopi, variis de causis, pontificalem benedictionem primarii lapidis sine cantu impertiri. Ut omnia fiant juxta principia liturgica sequentes serventur regulae:

1 — Episcopus utetur omnibus vestibus sacris sicuti pro benedictione solemni, alba inclusive.

2 — Loco sacrorum ministrorum, episcopus habebit assistentiam duorum capellanorum cum cottis sine biretis, etiamsi sint canonici in sua dioecesi vel praelati. Capellani omnia faciunt quae sacri ministri facere debent. 1mus ponit et aufert mitram.

3 — Duo saltem clerici aderunt qui recitabunt alta voce omnia quae in solemni functione cantantur a schola. Litaniae recitantur ab ipsis in medio retro post episcopum, omnibus respondentibus, nisi recitentur ab episcopo cum suis capellanis; dum fit fundamentorum circuitus ipsi procedunt ante episcopum psalmos seu antiphonas recitantes.

4 — Episcopus recitabit clara voce sine cantu orationes omnes ac intonationes.

Cetera fiunt ut in benedictione solemni.

NOTAE AD SECTIONEM I

(1) Legit PR "Nemo ecclesiam aedificet priusquam Pontificis judicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad rectoris, ministrorumque stipendia sufficiat, quidquid ad ecclesiae dotem pertineat, definiatur". *De Benedictione primarii lapidis.* Et in die consecrationis dicit episcopus "scire volumus qualem eis (sacerdotibus) honorem vis exhibere et de quo ecclesiam dotare proponis". Haec antiquissima Ecclesiae legislatio causa erat multorum malorum, nam ecclesia aedificanda erat a fundatore vel fundatoribus. Praefinito dote, episcopus primum lapidem jacebat vel ecclesiam consecrabat; ecclesia vero in dominio reali personae physicae vel moralis permanebat, generatim cum jure patronatus, ita ut ipsa rectoris praesentatio penes erat fundatores. In nonnullis locis res ita deturpabantur et haeredes minus catholici fundatoris, corruptio confraternitatis seu tertii ordinis seu cujusvis personae dominii, ad hoc devenerunt ut etiam a jurisdictione parochi vel ipsius episcopi sese putarent exemptos, non sine praejudicio totius ecclesiasticae ordinationis, lites generantes.

CJC vix huic rei mederi aliquo modo videtur, si excipias prohibitionem novi tituli patronatus; et legislatio PR, superius exposita, revera adhuc valet! Hodie tamen episcopi solent, *sponte sua,* permissum aedificandi ecclesiam iis tantum in adjunctis concedere, quando locus aedificationis seu solum et templum aedificandum in verum titulum proprietatis dioecesis vel paroeciae transit. Ita fieri decrevit Concilium Plenarium Brasiliense, 1939, n. 317.

(2) In RR invenies ritum pro benedictione primarii lapidis ecclesiae aedificandae quando fit ritu sacerdotali. Agitur de eadem benedictione sine solemnitate facienda. Benedictio fundamentorum fit tota simul sine interruptionibus, quia supponitur agi de ecclesia minore. Fas non est episcopo benedictionem facere pontificaliter adhibita formula RR, quae sacerdotibus reservatur, sed vide tom. III, n. 258.

(3) Licet, juxta rubricas, permittatur celebratio missae sub dio post benedictionem primarii lapidis, episcopus ad id non tenetur; nam ecclesia aedificanda est ut missae sacrificium ibidem celebrari possit, praesertim postquam Deo consecretur. Praeterea RR (tit. VII, cap. 26) de missa celebranda silet.

(4) Nullatenus sufficit parva petra, potius symbolica quam petra aedificii, ante functionem super abacum cum vestibus episcopi ponenda, deinde in arca marmorea reponenda et in fundamentis sepelienda. Primus enim lapis debet revera esse pars aedificii. Praeterea agitur in PR de impositione primarii lapidis angularis ecclesiae, quem cementarius aptat, et non de parva petra quadam intra lapidem locanda. Corrigendus proinde Martinucci. Hac de re egimus apud periodica *Liturgical Arts,* vol. XI, pg. 79, *New York* 1943.

(5) Cum juxta PR episcopus cruces sex super facies petrae sculpit, concludit Barrufaldus in suo commentario ad RR (h.l. n. 56), lapidem esse potius lateritium quam marmoreum ut possit episcopus cruces sculpere super facies. Paulo infra, sibi ipse contradicens, dicit convenire ut cruces sculpantur ab artifice ante benedictionem, ita ut episcopus solum manu duceat sculprum super eas. Sed, ut diximus, quaecumque petra artificialis, etiam e concreto, arcenda est uti ritui, rubricis et symbolismo contraria; agitur enim de lapidis benedictione.

(6) Omnino reprobandus est usus adhibendi canonicos vel praelatos duos loco sacrorum ministrorum; gravius esset si hujusmodi canonici vel praelati adstarent in suis vestibus choralibus loco superpellicei sicut docet Moretti, de sacris functionibus, tom. IV, pg. 261. Vide notam 200 tomi III huius operis. Vestes chorales non sunt adhibendae in sacramentorum vel sacramentalium administratione, nec a celebrante, nec a suis inservientibus, et hoc in Urbe semper servatur etiam quando Summus Pontifex sacramenta seu sacramentalia administrat.

(7) Formula PR pro benedictione aquae lustralis communis est tum RR tum MR, et quidem antiquissima, invenies enim, saltem partem, in sacramentario Gelasiano. Pro solemnioribus aspersionibus huius 2ae. partis, praecipit PR ut benedictio aquae fiat a pontifice in initio functionis, sic enim effectus in benedictione aquae expressi clarius apparent recenti benedictione. Dicit enim rubrica *Pontifex... aspergit... cum aqua per eum benedicta.* Praeterea regula est communis liturgiarum, ut elementa benedicantur quando adhibentur; sic aqua baptismalis benedicitur in sabbatis Paschae et Pentecostes propter baptismum solemnem illis diebus conferendum. Ab hac regula multas invenies exceptiones in RR, potius positas in commoditatem sacerdotum qui benedictiones frequenter faciunt, pro quibus minor solemnitas requiritur. Vide notam 203, tomi III.

(8) "Decentius est isto loco ut (litaniae) cantentur in consueto tono non autem simpliciter recitentur. Celebritas enim diei indiget ut solemniter omnia fiant, atque expleantur omni debita veneratione: ideoque genibus flexis cantari debent quia sunt preces". Baruffaldus, in RR h.l. n. 69. A fortiori quando functio est pontificalis.

(9) Ait rubrica *stans versus ad primarium lapidem;* latet tamen ratio, et in praxi nec semper fieri potest. Oratio *Actiones nostras* solet in initio functionum poni, ex. gr. in initio consecrationis vel benedictionis ecclesiae, hic tamen ponitur in medio functionis, latet etiam ratio.

(10) In fundamentorum aspersione antiphonae repetuntur, non autem in psalmis pro lapidis benedictione. Durandus de repetitione autiphonae tacet. Andrieu, tome III, pg. 454.

(11) Fundamentorum aspersio non est in partes aequales dividenda, sed in duas maiores et in unam minorem; nam PR in 1ma. et 3.ª parte jubet canere antiphonam, psalmum et iterum antiphonam, in 2.ª vero praescribitur tantum antiphona una. Ita fecit Durandus, cujus ordo in PR adamussim transcribitur.

Quaeri potest utrum aspersio fundamentorum incipi debeat a loco primarii lapidis, an retro altare maius. Sequimur ultimum modum juxta regulam a PR statutam pro parietum ecclesiae aspersione ab intus in eorum consecratione; certe finiri debet ubi incepit.

(12) Hymnus *Veni, Creator* cum sua collecta hoc loco, seu finita lapidis impositione ponitur, eo quod agitur de invocatione Spiritus septiformis tempore aedificationis novi templi. Sat frequenter ecclesiae aedificantur quae liturgicis legibus minime satisfaciunt; consulto proinde jubet Ecclesia ut Spiritus sapientiae invocetur. Hac de re lingua anglicana scripsimus apud *Liturgical Arts,* Neo Eboraci editum, 1934, pg. 16 ss.

PR hoc loco jubet episcopum intonare hymnum *Veni, Creator, deinde* genua flectere; sed juxta usum receptum, cum quo concordant rubricae aliorum locorum PR, debet episcopus genuflexus *Veni, Creator* intonare.

(13) Juxta regulam a RR stabilitam (tit. VI, cap. III, n. 5), terminationes orationum extra missam et officium breves sunto. Optandum ut in definitiva recensione tum PR tum RR hic et ubique terminationes breves adhibeantur, uniformitatis et brevitatis gratia, nam, praesertim in 2.ª parte PR, nulla datur regula fixa. Vide notam 212 tomi III. Durandus pro quibusdam orationibus dicit *Per Christum,* pro aliis tantum *Per,* et PR generatim ubi legebatur *Per* longam terminationem dat et ubi legebatur *Per Christum* brevem tradit conclusionem. Vide Andrieu tome III, passim.

SECTIO II

DE ECCLESIARUM ET ALTARIUM CONSECRATIONE

In plano altaris *lege* **in suppedaneo.**

In plano presbyterii *lege* **ante gradus altaris.**

SECTIO II

DE ECCLESIARUM ET ALTARIUM CONSECRATIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

20 DE OBLIGATIONE CONSECRANDI ECCLESIAS

❯ Id fuit semper Ecclesiae mens et sedula cura, inde a pristinis saeculis fidei, ut sacrosanctum eucharistiae sacrificium illis circumdaretur honoribus qui ei proprii sunt, ut clero et populo rei magnitudo innotescat. Ad talem obtinendum effectum praecepit auctoritas apostolica ut missae sacrificium illis in locis celebraretur qui speciali modo ad tam sanctum finem Deo orationibus, obsecrationibus,unctionibus, dicantur, et ut locus et res ita disponantur ut in Eucharistiae celebratione, juxta monitum beati Pauli, *omnia honeste et secundum ordinem fiant.* 1 ad Cor. XIV, 40 (14).

Solemni consecratione dedicentur ecclesiae cathedrales et, quantum fieri potest, ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales. CJC 1165 § 3

1 — Datur proinde praeceptum consecrandi ecclesias cathedrales; nam ecclesia sedis princeps est ecclesiarum dioecesis, et ab illa debent aliae exemplum sumere (15).

2 — Ad concessionem tituli basilicae semper requiritur a Sancta Sede consecratio praevia ecclesiae honorandae.

3 — Ecclesiae abbatiales, collegiatae, conventuales et paroeciales debent etiam solemniter consecrari, nam licet in Codice Juris legitur *quantum fieri potest,* generatim aliqua adhibita diligentia, hujusmodi ecclesiae consecrari possunt et proinde debent. Lex CJC in RR transcribitur. RR tit. VIII, cap. 27, n. 14.

4 — Praeceptum juris confirmatur ritu consecrationis et benedictionis ecclesiae; nam benedictione ecclesiae non dedicantur Deo in perpetuum, sed tantum ab usibus profanis segregantur et purificantur; consecratione vero ecclesiae Deo in perpetuum dedicantur. Effectus sunt proinde specifice diversi (16). Id etiam confirmatur usu totius antiquitatis et praesertim lege semper Romae servata consecrandi non solum ecclesias omnes, sed etiam oratoria collegiis aliisve institutis annexa; sic anno 1931 solemniter consecratum fuit oratorium Collegii Pontificii de Fide propaganda. Omnino laudandus proinde est usus consecrandi etiam ecclesias minores seu oratoria, dummodo requisita a jure ab ipsis satis fiant.

5 — Quae superius dicta sunt respiciunt jus universalis Ecclesiae, nam jure particulari, tum conciliis, tum synodis diversis in locis celebratis, ecclesiarum consecratio praecipitur. Sic Concilium Romanum, anno 1725 a Benedicto XIII celebratum, jubet consecrari intra biennium ecclesias tum cathedrales tum paroeciales in tota provincia Romana et regione Concilii.

6 — Loci ordinarii est urgere ecclesiarum consecrationes et definire quaenam consecrari debeant.

CAPUT II

21 DE MINISTRO CONSECRATIONIS ECCLESIARUM ET ALTARIUM

1 — Minister ordinarius consecrationis ecclesiarum et altarium est ordinarius territorii in quo ecclesia reperitur, dummodo sit episcopali charactere insignitus. CJC 1155 § 1. Si vero eo caret, potest invitare quemlibet episcopum Romani Ritus, qui non sit suspensus a pontificalibus, ad consecranda altaria et ecclesias in suo territorio. CJC 1155 § 2.

Quilibet episcopus consecratus potest valide ecclesias et altaria consecrare in tota Ecclesia. Ad liceitatem autem requiritur expressa licentia ordinarii de quo supra, quam nullo modo licet praesumere. CJC 1157. Ecclesiarum rectores debent proinde ab invitandis episcopis extraneis abstinere, nisi audito prius suo ordinario, cui jus et officium est ecclesias et altaria consecrandi.

2 — Vicarius generalis episcopali charactere fulgens nequit ecclesias et altaria consecrare sine speciali mandato ordinarii loci. CJC 1155 § 1

3 — S.R.E. cardinales a die promotionis in consistorio possunt ubique terrarum ecclesias et altaria valide consecrare, de venia tamen loci ordinarii. CJC 239 § 1, n. 20; 1157.

4 — Abbas vel praelatus nullius, si charactere episcopali non sit ornatus, et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, potest ecclesias et altaria immobilia consecrare (CJC 323); in proprio territorio tamen, ubi est ordinarius; extra territorium invalida esset consecratio, cum juxta canonem 1155 § 2, ordinarius territorii nequeat concedere permissum nisi episcopis consecratis. CJC I-A. 29-I-1931 (17).

5 — Abbas de regimine nequit ecclesias et altaria consecrare, cum sit officium et privilegium loci ordinarii, etiam pro ecclesiis exemptis religiosorum, et ordinarius nequit concedere potestatem ordinis abbatibus. Solet tamen aliquando Sancta Sedes privilegium abbatibus benedictis concedere pro altaribus ecclesiarum suae religionis, sed standum pro singulis casibus concessioni pontificiae (18).

6 — Apostolicus administrator dioecesis, praelaturae vel abbatiae nullius, vicarius vel praefectus apostolicus, qui episcopali dignitate non sit ornatus, invalide ecclesias vel altaria consecraret.

7 — Minister consecrationis ecclesiae et altaris, quod una cum ecclesia consecratur, unus esto. D 3142, II. Nam juxta rubricas PR non solum agitur de uno et eodem pontifice sed etiam, nisi causa nimiae fatigationis adsit, unus esse debet minister consecrationis ecclesiae et missae celebrationis.

8 — Aliquando datam fuisse episcopis facultatem adhibendi coadjutores in ecclesiarum consecratione in dubium vocari nequit, hodierno jure vero hoc non licet, sine apostolico indulto. Vide tit. IV, cap. III, n. *106*. Martène, tom. II, pg. 241.

CAPUT III

22 DIES SELIGENDUS PRO ECCLESIAE DEDICATIONE

Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen diebus dominicis aliisve festis de praecepto peragitur. CJC 1166 § 1.

1 — Cum ecclesiarum consecratio sit ritus, inter solemniores, solemnissimus, non vult Ecclesia ut fiat nisi diebus quibus populus a servilibus

operibus vacet. Cum vero officium dedicationis sit festum Domini (D 3881, I), convenientissime in Dominicis diebus consecrari ecclesiae debent (19).

2 — Verba *quolibet* die ita intelligenda sunt, ut excipiantur dies in quibus officium et missa dedicationis, juxta rubricas, celebrari prohibentur; nam ecclesiae dedicatio tribus partibus diversis, sed ab invicem dependentibus et quodammodo inseparabilibus, constat, nimirum: dedicatio ipsa, missa, et officium dedicationis. Rubrica in fine ritus consecrationis sic se habet *Missa dicitur prout in Missali, in ipsa die dedicationis ecclesiae;* et in officio Breviarii datur oratio dicenda in ipsa die dedicationis. Minime convenit, proinde, ecclesias consecrare diebus qui sequuntur:

In festivitatibus universalis Ecclesiae quae sub ritu duplici I classis primario celebrantur, sunt enim:

Nativitas et Epiphania Domini cum diebus octavis.
Pascha Ressurrectionis cum tota octava.
Ascensio Domini.
Dominica Pentecostes cum tota octava.
Festum ssmae. Trinitatis.
Festum Corporis Christi et dies octava.
Festum s. Cordis Jesu.
Nativitas s. Joannis Baptistae.
Dedicatio s. Michaelis Archangeli.
Festum s. Joseph et Patrocinium ejusdem.
Festum ss. Petri et Pauli.
Festum omnium Sanctorum.
Conceptio Immaculata Beatae Mariae Virginis.
Annuntiatio et Assumptio ejusdem.
Festum D.N.J.C. Regis.

In festo principalis patroni oppidi, civitatis, dioecesis, provinciae seu nationis; sunt enim festa feriata, licet reducta vel sublata feriatione.

In die festo titularis propriae ecclesiae si titularis sit festum Domini. Piacenza, In novissimas rubricas BR. Romae 1915, pg. 56.

In die festo titularis vel sancti fundatoris ordinis seu congregationis.

Feria quarta cinerum.

A dominica Palmarum usque ad sabbatum Sanctum.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum.

In vigiliis I classis Nativitatis et Pentecostes.

In dominicis I classis, videlicet: 1ma Adventus; quatuor Quadragesimae; Passionis; in Albis.

Nam in omnibus diebus supra citatis officium diei est nobilior officio dedicationis, et non licet eodem die duo celebrare festa quae sibi invicem oppugnant (20).

3 — Cum dedicatio ecclesiae sit dies festivus, non expedit ecclesias consecrare in feriis Quadragesimae. Cft. Piacenza, In novissimas Rubricas Commentarium, Romae 1915, pg. 55 et 56.

CAPUT IV

23 DIES SELIGENDUS PRO CONSECRATIONE ALTARIUM

Consecratio altaris immobilis, quae fit sine ecclesiae dedicatione, quamvis qualibet die fieri possit, magis tamen decet ut fiat die Dominico aliove festo de praecepto. CJC 1199 § 3.

1 — Excludi debent dies qui sequuntur:

Triduum sacrum Maioris Hebdomadae.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

2 — Cum vero, juxta rubricam PR, consecrato altari, celebrari debeat missa de dedicatione, decet excludere dies in quibus rubricae hanc missam excludunt; sunt enim dies omnes in quibus missa votiva pro re gravi prohibetur, videlicet:

Dominicae I classis.
Duplicia I classis omnia.
Vigiliae Nativitatis et Pentecostes.
Feriae privilegiatae.

3 — In praxi altarium vel ecclesiarum consecratio in die Dominico vel festo de praecepto fieri nequit, tum quia praeceptum audiendi sacrum difficile reddit, tum quia sacerdotes illis diebus aliis gravantur oneribus.

CAPUT V

24 DE JEJUNIO SERVANDO

Episcopus consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, jejunent. CJC 1166 § 2.

1 — Circa formam jejunii (sine abstinentia), dispensationem, etc., serventur leges communes jejunii ecclesiastici. CJC I A. 20-VII-29.

2 — Jejunare debet persona physica vel moralis quae consecrationem ecclesiae petit; proinde parochus, communitas religiosa annexa ecclesiae consecrandae, capitulum ecclesiae cathedralis vel collegialis; non vero tota paroecia, si agatur de consecratione ecclesiae paroecialis, vel tota dioecesis, si de ecclesia cathedrali. DD 2519 et 2821.

3 — Episcopus tamen potest praecipere jejunium in tota civitate pridie consecrationem ecclesiae principalis loci, vel in tota dioecesi pridie consecrationem ecclesiae cathedralis. CJC 1244 § 2.

4 — Coadjutores consecrationis, si adsint, laudabiliter jejunent.

CAPUT VI

25 DE REQUISITIS EX PARTE ECCLESIAE CONSECRANDAE

Ut ecclesiae consecrari possint, sequentibus satisfacere debent conditionibus.

1 — Ecclesiae sint firmiter aedificatae ex lapidibus, lateribus, vel etiam e concreto, ut aiunt. D 4240; ecclesiae ex ligno vel ferro, aliove metallo nequeunt consecrari. CJC 1165 § 4.

2 — Ecclesia sit aedificium per se subsistens qui possit exterius, saltem e magna parte circumiri, et non aula aliqua vel pars alterius aedificii; nec adsit pars aliqua ecclesiae, vel subtus aut supra ipsam, usibus mere profanis adhibenda. CJC 1194 § 2. Subter ecclesias consecrandas tamen haberi possunt loca ad opera pia seu caritatis exercenda, vel cubicula pro ecclesiae custodibus, si necesse sit, cum non sint usus mere profani. D 3978, II.

3 — Pars aliqua ecclesiae, licet sit oratorium independens et absolutum, ut crypta subterranea, nequit consecrari independenter ab ecclesia principali cum qua subsistit.

4 — A jure non praescribuntur dimensiones nec minimae nec maximae ut fieri possit consecratio, nam tum ecclesiae tum oratoria publica aut semipublica consecrari possunt (CJC 1161, 1188 §§ 1-2), non autem privata seu domestica. CJC 1196 § 1. Tamen ut possint consecrari, oratoria publica aut semi-publica debent conditiones in numero praecedenti datas servare.

5 — Ecclesia debet esse in perpetuum sacris usibus destinata. Si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos, consecrari nequit. CJC 1165 § 2.

6 — Ecclesia sit in possessione pacifica et totali personae physicae seu moralis ecclesiasticae, religiosae vel laicalis, seu non oppignorata vel hypothecae nomine obliganda.

26 CRUCES DUODECIM intra ecclesiam consecrandam aderint, pro quibus observa :

1 — Aptentur super parietes principales seu fundamentales, et non ad columnas vel super alia ornamenta ecclesiae.

2 — Ponentur ad altitudinem duorum metrorum in parvis ecclesiis, et trium metrorum in magnis vel circiter.

3 — Aderint duae in abside, duae in pariete juxta januam principalem et octo super parietes laterales, vel ubi convenientius juxta structuram templi; magna est enim ecclesiarum diversitas et loca lineis architectonicis determinantur.

4 — Unctiones fieri debent super petram. Proinde si ecclesia sit ex lapide sufficit duodecim incisere cruces in parietibus vel apponere cruces metallicas in locis unctionum. Sed cum nostris temporibus multae aedificentur ecclesiae e lateribus manufactis vel e concreto, in locis unctionum apponantur lapides duodecim singuli crucibus incisi. Lapides sint latitudinis minimae 20 centimetrorum et quadratae aut rotundae, et sex saltem centimetrorum profunditatis ut possint firmiter parieti adhaerere.

5 — *Subter* unamquamque crucem aderit clavus ornatus, cui affigatur candela dimidiae librae (21).

27 CRUCES INTROITUS. In parte exteriori ostii principalis seu introitus, ad altitudinem duorum metrorum vel circiter, super lapides utrimque (gallice *montants*), sculpi debent duae cruces 20 x 20 centimetrorum plus minusve super quas pontifex facit unctiones. Si tamen eccle-

sia non sit lapidea necesse erit lapides duos ad ostium infigere incisis crucibus (22).

CAPUT VII

28 DE REQUISITIS EX PARTE ALTARIS CONSECRANDI

› Ut altare possit solemniter consecrari oportet ut sit immobile seu mensa sit cum stipitibus ad modum unius constructa, et ut habeat sepulcrum ad reliquias sanctorum recipiendas. Altare constat proinde partibus tribus, mensa, scilicet, stipite et sepulcro, de quibus agendum per singula, relate tamen ad ritum consecrationis (23).

ART. I — DE MENSA ALTARIS

Mensa altaris ex unico constet lapide naturali, integro et non friabili, quae ad integrum altare protendi debet et apte cum stipite cohaerere. CJC 1198, §§ 1 et 2.

Ex quo deducitur :

1 — Petra sit naturalis : excluduntur a jure petrae arte factae, quaecumque sint illae.

2 — Petra sit integra : si fuerit fracta non potest consecrari.

3 — Mensa sit ex lapide unico in tota extensione et latitudine altaris (24).

4 — Non sit friabilis : ut non sit friabilis oportet ut sit crassa ; nam ut docet experientia, petrae parvae crassitudinis facile franguntur, difficile haerunt stipiti, et nequit quis in eis fodere sepulcrum. Nulla datur crassitudo maxima, nam a crassitudine mensae valor altaris aestimandus erit; quo enim crassior, eo melior erit et firmior. Sed nec crassities minima a jure declaratur ; dicendum tamen cum Van der Stappen (De celebratione Missae, pg. 35) : ne facilius frangatur, sit ad minus septem centimetrorum ut convenienter apponi possit sepulcrum. Contra regulas juris erit solemniter consecrare mensam duorum vel trium centimetrorum crassitudinis, nam non in perpetuum consecraretur, quia non adhaereret sat firmiter stipiti et esset friabilis, seu contra canonem 1198.

› Omnino necesse est attentionem architectorum et ecclesiarum rectorum ad crassitudinem mensae vocare, cum res sit maximi momenti pro consecratione altarium ; nam frequenter petitur consecratio mensarum quarum crassitudo minime respondet quaesitis juris.

5 — Duae petrae parvae crassitudinis juxta positae seu una super aliam nequeunt per modum unius consecrari.

6 — Licet dimensiones minimae mensae non sint a jure definitae, ut sacra Liturgia celebrari convenienter possit, sit ad minus 1,70 centimetrorum longitudinis et 0,50 centimetrorum latitudinis, secus consecrari non debet.

7 — Mensa debet firmiter cohaerere cum stipite, uti inferius dicetur.

8 — Super mensam, in medio et in quatuor cornibus, sculpi debent quinque cruces ad unctiones consecrationis recipiendas. Diagramma III

29 ART. II — DE STIPITE ALTARIS

Stipes sit lapideus, vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide. CJC 1198 §§ 1 et 2.

1 — Stipes altaris est basis super quam mensa reponitur et firmatur; erit ex lapide naturali confectus ut possit una cum mensa consecrari.

2 — Stipes sit fixus in pavimento ita ut dimoveri nequeat, secus altare immobile non erit.

3 — Stipes construi potest ex pluribus lapidibus, cum nullibi praecipiatur ut sit ex lapide integro.

4 — Licet sit *omnino consulendum* ut stipes sit undequaque clausus et solidus, non solum ratione artis liturgicae, verum etiam ne subter mensam ad res asservandas, vel pulverem congregandum, liberum relinquatur spatium, tamen, ratione consecrationis, ex omni parte claudi non praescribitur. Sufficiunt quatuor columellae in quatuor angulis, vel etiam licet construere partem posteriorem solidam et lapideam et columellas duas in parte anteriori adjungere. Quando stipes est solidus, lapides apponi tantum debent ad extra, intus construi potest lateribus oblongis.

5 — Stipes cum unica columella in medio vel duae ad extremitates nequit consecrari.

6 — Nefas est adhibere altaria praesertim consecrata tamquam scrinium ad res etiam sacras conservandas, et talia altaria consecrare prohibuit SRC. D 3741.

7 — Juxta rubricas PR et usum receptum Ecclesiae, tum stipes tum mensa sint formae oblongae et rectangularis, ut possint ex toto cooperiri cum antependio et mappulis (25).

8 — Altare ex unico lapide (block) constructum ita ut mensa sit ipsa summitas stipitis, omnino laudandum propter intrinsecum valorem, consecrari potest et debet. Pro iis enim altaribus basis super qua petra reponitur habetur veluti stipes, et unctiones quatuor finales angulorum fiunt ad basim (26).

9 — Juxta laudabilem usum romanum in parte anteriori stipitis, versus medium, sculpi aut apponi decet crux lapidea ad recipiendam unctionem.

30 ART. III — DE SEPULCRO ALTARIS

❯ In altari immobili sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias sanctorum, lapide clausum. CJC 1198 § 4. Lapis operculi sit naturalis et non manufacta. D 3567 ad 1um.

❯ Juxta rubricas PR sepulcrum construi potest: In superficie mensae; in parte anteriori, vel etiam posteriori, stipitis; in medio summitatis stipitis, de quibus agendum per singula.

A — Juxta formam communiter receptam sepulcrum construitur in ipsa mensa; nam generatim reliquiae sunt parvae et facile sepeliuntur in crassitudine mensae.

Sepulcrum effoditur in parte anteriori mensae et non in medio ubi sculpi debet crux unctionum. Sepulcrum perfoditur quadratum 10 x 10 centimetrorum. Diagramma III.

Crux a rubricis non praescribitur, nec super nec subter lapide sepulcri, nec convenit facere crucem cum jam adsit crux in media mensa, ne sint duae juxta positae.

Mensa minime debet perforari ex utraque parte, sed tantum quantum necesse est ad capsulam reliquiarum sepeliendam et cooperiendam.

Si tamen, ex aliquo defectu, lapis parforatur, non erit absolute necessarium mensam substituere, sed sufficit defectum corrigere meliore quo fieri potest modo usu lapidis naturalis in inferiori sepulcri parte. Omnino tamen necessarium est ad valorem ut sepulcrum sit undequaque clausum lapidibus. D 3884; Ephem. lit. 1890, pg. 553.

Tabula debet aeque et perfecto coaptari sepulcro, nec altius construi quam ipsa mensa, et firmiter adhaerere, ne possit facile violari.

B — Sepulcrum construi potest in stipite, in parte anteriori, et etiam, licet minus convenienter, in parte posteriori. Hic modus necessarius est quando reliquiae sunt maioris voluminis et poni nequeunt in crassitudine mensae. Sepulcrum debet totaliter construi ex lapidibus, cum qua etiam debet claudi. In parte exteriori tabulae sepulcri scribi possunt nomina sanctorum, quorum reliquiae ibi erunt recondendae ad eorum perpetuum cultum.

C — Sepulcrum construi potest in summitate stipitis et mensa claudi. Tale sepulcrum tamen necessarium est solum quando de magnis reliquiis condendis agendum est, v. g. pars notabilis corporis alicujus sancti. Sepulcrum construatur omni parte ex lapide, ita ut sit totaliter clausum et possit mensa cooperiri.

❯ In consecratione altarium antiquarum basilicarum super corpora apostolorum vel martyrum, nam aliquando debent substitui, totus ritus sepulturae reliquiarum erit omittendus, cum corpora sancta jam sint sepulta nec erit construendum sepulcrum in mensa vel in stipite. Attamen, cum agatur de casibus extraordinariis, ad Apostolicam Plenitudinem recurrendum erit toties quoties ocurrant (27).

31 ART. IV — DE SITU ALTARIS CONSECRANDI

1 — Altaria consecrari possunt in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis, dummodo fuerint saltem benedicta juxta ritum in RR praescriptum.

2 — Licet non sit juris praeceptum, omnino tamen decet ut in ecclesiis consecratis altaria omnia lateralia, si adsint, consecrentur.

3 — A jure non praescribitur consecratio altarium in ecclesiis benedictis, non tamen prohibetur. CJC 1197 § 2 (28).

4 — Consecratio altarium in oratoriis publicis aut semi-publicis quae benedictionem solemnem RR receperunt, non est prohibita, dummodo sint solide constructa nec adsit periculum, saltem proximum, ea ad usus profanos devenire.

5 — Nec prohibetur consecratio altaris in annexis ecclesiarum; sic Pius VI consecravit altare sacrarii Archibasilicae sancti Petri, licet sit locus ab ecclesia independens.

6 — Possunt etiam consecrari altaria in oratoriis semi apertis, v.g. *Grottes de Lourdes*, si tamen locus definitive cultui divino sit destinatus et ab aliis usibus cancella segregatus.

7 — Non licet altaria consecrare in locis ubi cadavera fidelium sepeliuntur, nisi ab illis distent saltem spatio unius metri. CJC 1202 § 2.

8 — Altare non debet construi fixum in pariete ecclesiae, sed distet ab ea aliquantulum ut possit libere circumiri; nam altare non est pars quaedem parietis ecclesiae, sed res per se subsistens. Quae quidem regula omnino servanda est pro altari maiore; pro ceteris altaribus vero aliquando necessarium erit, propter exiguitatem spatii, ea ecclesiae parietibus ligare.

9 — Altare construi potest ad introitum presbyterii ita ut missa celebrari possit ab uno vel alio latere, facie vel tergo ad populum, quod vocari solet altare duplex. Ritus consecrationis idem est, sed cum duo habentur frontes, putamus convenire ut in utraque fronte apponatur crux, quae erit chrismate ungenda. Sepulcrum aderit a latere presbyterii utpote digniore.

CAPUT VIII

DE TITULARIBUS ECCLESIARUM ET ALTARIUM

32 ART. I — DE TITULARIBUS ECCLESIARUM

» Unaquaeque ecclesia consecrata suum habeat titulum, cujus festum quotannis celebretur ad normam legum litrugicarum. Consule rubricas MR et BR.

1 — Titulus ecclesiae relationem directam habet cum ipsius consecratione; nam ut videre est in toto ritu consecrationis et in officio dedicationis, ecclesiae Deo optimo maximo dicantur; sed sicut Ecclesia nomen seu titulum dat fidelibus, qui in nomine sanctissimae Trinitatis baptizantur, ita solet titulum seu patronum concedere ecclesiis, quae per merita Christi purificantur et sanctificantur (29).

2 — Titulus dari debet in actu consecrationis et amplius mutari nequit. Rationabili de causa tamen licet episcopo in consecratione mutare titulum datum in benedictione; nam potest episcopus mutare titulum altaris principalis nondum consecrati alicujus ecclesiae, proinde etiam titulum ecclesiae, qui idem esse debet ac titulus altaris maioris. CJC 1201 § 3.

3 — Titulus principalis ecclesiae unus esto; tamen non prohibetur adjungere titulos secundarios, sed id minime commendatur.

4 — Titulus esse debet aliquis sanctus, et non beatus, nisi adsit apostolicus permissus. CJC 1168 § 3. Esse possunt duo vel plures, dummodo nexum intra se habeant et ad modum unius in calendario recolantur, v.g. sancti Apostoli Petrus et Paulus. Titulus esse potest ssma. Trinitas, mysterium aliquod D.N. Jesu Christi, B.V. Mariae vel etiam sancti, dummodo sit ab Ecclesia adprobatum; non tamen licet seligere Unam Divinam Personam ab Aliis segregatam, ut 1ma. vel 2da. Persona. Spiritus Sanctus vero titulus esse potest, eo quod agitur de missione ejus in Ecclesia, sive de mysterio, secus non liceret (30). Si dioecesis patronum habet et cathedralis sit nova, laudabiliter in titulari cathedralis seligatur patronus dioecesis. Si titularis sit DNJC sub titulo ssmi. Salvatoris seu Redemptoris, seu alterius tituli de quo non exstat festum in universali Ecclesia celebranda, festum Transfigurationis Salvatoris habendum est ut titularis. DD 2439 ad 2; 2721 ad 2; suffragium, pg. 342. Si titularis sit BMV, nulla adjecta denominatione, vel sub titulo de quo non exstat officium pro universali Ecclesia adprobatum, ejus in Caelum Assumptio habenda est in titulum. D. 2529, I, II.

5 — Nequit episcopus valide in titulari designare festum, id est sanctum vel mysterium, quod neque in Martyrologio Romano neque in proprio dioecesis reperitur. D 3876, V. Nam cum titularis celebrari debeat cum missa et officio, nequit ordinarius, citra apostolicum indultum, officium et missam pro aliqua ecclesia suae dioecesis adprobare; fas non est proinde in titulari eligere festum aliquod MR *pro aliquibus locis*, nisi in illis dioecesibus (vel ordinibus) in quibus festum illud ex apostolica concessione celebratur. Licet tamen eligere sanctum cuius nomen in Martyrologio legitur, etiamsi ejus festum in dioecesi non venit celebratum, quia missa et officium dici possunt de communi.

33 ART. II — DE TITULARIBUS ALTARIUM

1 — Sicut ecclesia, ita quodlibet ecclesiae altare, saltem immobile, proprium sibi titulum habeat.

2 — Titulus primarius altaris maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae. CJC 1201 §§ 1 et 2.

3 — Imago tituli super altari absolute non praecipitur. D 4191, IV (31).

4 — Quae dicta sunt de ecclesiae titulari, dici etiam debent de titularibus altarium immobilium; videlicet titulus primarius altaris debet esse unus, qui post consecrationem nequit mutari. Esse possunt plures aeque principales per modum unius recolendi; non prohibetur, licet non sit consulendum, adjungere titulos secundarios. Festum titularis altaris lateralis consecrati celebrari decet cum missa, quae tamen nullo gaudet liturgico privilegio.

CAPUT IX

34 DE CONLATAE CONSECRATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

» De peracta consecratione perscribatur, duplici exemplari, documentum, alterum in curia episcopali, alterum in ecclesiae tabulario asservandum. CJC 1158.

1 — Omnino necessarium est ut de peracta consecratione constet futuris generationibus ad perpetuam rei memoriam; nam frequenter oriuntur dubia circa ecclesiarum consecrationem, incuria maiorum, ita ut aliquando necesse sit ecclesias iterum sub conditione consecrare (32). Propter quod a jure praescribitur ut de peracta consecratione redigatur documentum, duplici exemplari, in quo constare debent omnia memoria digna et ab episcopo consecratore et ab aliis qui intersunt consecrationi subscribi. Praescriptum canonis 1158 servari debet post consecrationem tum ecclesiae, tum altaris.

2 — Praeterea, ad introitum ecclesiae consecratae apponi debet lapis in qua inscribentur nomina titularis et consecratoris, dies consecrationis et alia memoria digna.

3 — Altari consecrato apponi debet inscriptio cum nomine episcopi consecratoris et die consecrationis, adjectis nominibus sanctorum martyrum quorum reliquiae sepultae fuerunt. Juxta laudabilem usum romanum inscriptio ponitur in crassitie mensae.

CAPUT X

35 DE ANNIVERSARIO CONSECRATIONIS ECCLESIAE QUOTANNIS CELEBRANDO

» Festum consecrationis ecclesiae quotannis celebretur ad normam legum liturgicarum. CJC 1167.

1 — Celebranda est dies anniversaria sub ritu duplici I classis primario cum octava communi, sed sine feriatione. BR.

2 — Dies anniversarius per se est dies ipse dedicationis, ordinarius tamen potest alium diem designare, quae quidem designatio fieri debet statim post consecrationem et semel pro semper. D. 3881, V. Nequit tamen assignari dies mutabilis, v.g. Dominica (33) vel aliqua feria, nec dies in qua necessarium est aliam festam transferre in perpetuum, nec dies dedicationis ecclesiae cathedralis. D 4308. Potest tamen transferri festum 2ae. classis dioecesis. Si agatur de dedicatione ecclesiae cathedralis, episcopus diem designat audito capitulo.

3 — Ad maiorem commoditatem tum kalendaristae, tum cleri, hodie solet in unaquaque dioecesi, provincia vel natione, approbante Sacrorum Rituum Congregatione, designari dies uti *Dedicatio omnium ecclesiarum* dioecesis, provinciae vel nationis, exceptis ecclesiis cathedralibus, quarum dedicatio suo die celebratur (34); sic enim fit in Brasilia, Gallia, aliisque locis. In ecclesiis non consecratis tamen fit officium de festo vel feria concurrente, nisi aliud declaretur a Sancta Sede.

4 — Hoc privilegium tamen respicit anniversarium dedicationis; in anno quo fit consecratio, officium celebratur in ipso die, nec fieri debet bis de eodem si postea in calendario adsit dies communis dedicationis omnium ecclesiarum.

5 — Ad officium dedicationis tenentur clerici ecclesiae consecratae, nam est festum proprium illius ecclesiae; omnes vero tenentur recitare officium dedicationis ecclesiae cathedralis, eo quod est omnibus veluti ecclesia mater et propria, regulares vero sine octava (35).

6 — Non tenetur parochus ad recitationem officii dedicationis ecclesiarum quae in suo territorio exstant et quae ab eo dependent; episcopus recitare debet tantum officium dedicationis ecclesiae cathedralis.

7 — Clerici ecclesiae addicti illi sunt qui in ea gaudent aliquo beneficio vel ad eam aliquo titulo canonico adstricti fuerunt; sic, praeter parochos et canonicos, vicarii paroeciales et mansionarii; seminarii alumni et magistri si agatur de capella seminarii.

8 — Si dedicatio alicujus ecclesiae certa est, sed dies dubius, debet episcopus quam primum diem certum designare.

35-A CANDELAE AD DUODECIM CRUCES. In die anniversario dedicationis, ad missam conventualem, paroecialem, vel principaliorem ecclesiae, et ad officium, inde a primis vesperis, accendi debent duodecim candelae ante cruces consecrationis; quae quidem in die octavo ad missam et vesperas accendi possunt si fit officium de dedicatione vel saltem memoria. D 3876, VI, VII; quod etiam infra octavam observare fas est (36). Si solemnitas extrinseca transferatur in dominicam, juxta rubricas, candelae accendentur *etiam* in die dominico ad missam dedicationis. Si festum dedicationis transferatur, candelae accendi debent die quo fit officium dedicationis. D 1686. Vide notam 29.

CAPUT XI

36 DE CONSECRATIONE ECCLESIAE CUJUS ALTARE PRINCIPALE JAM EST CONSECRATUM, VEL QUANDO ALTARE UNICUM SEU ALTARIA OMNIA SUNT CONSECRATA

1 — In titulo II praescribitur consecratio altaris maioris una cum ecclesia. Ratio est evidens, nam altare principale est altare proprium ecclesiae, seu unicum necessarium, ut jam declaravit SRC, D 1321, II.

2 — Praeterea titulus altaris principalis idem est ac titulus ecclesiae (CJC 1201 § 2), et in consecratione ecclesiae semper dicitur in unctionibus et orationibus nomen titularis. Si consecratur simul ecclesia sub uno titulo et altare laterale sub alio titulo, oritur confusio in actu consecrationis. Proinde cum construitur ecclesia possunt separatim consecrari altaria lateralia, sed ara major relinquenda est ut consecretur quando ecclesia erit consecranda.

3 — Si tamen, contra regulas, altare majus jam est consecratum, tunc, licet incongrue, una cum ecclesia consecretur aliud altare (CJC 1165 § 5); nefas est enim ecclesiam sine altari consecrare, quia consecratio altaris est centrum totius consecrationis ecclesiae, nec a Sancta Sede solet concedi indultum consecrandi ecclesiam sine altari. D 3907, I (37).

4 — Si altare unicum seu altaria omnia jam sunt consecrata, ad consecrandam ecclesiam necesse erit substituere altare principale, vel altare exsecrare seu destruere et iterum aedificare, cum nova mensa vel novo stipite quod in casu licet, praehabita licentia loci ordinarii.

5 — Si altare majus non fuit juxta liturgicas leges constructum, laudabiliter substituatur, et loco ipsius altare liturgicum ponatur, id est, simplex mensa cum stipite (38).

CAPUT XII

DE ECCLESIARUM ET ALTARIUM EXSECRATIONE ET DE ITERANDA CONSECRATIONE

37 ART. I — DE ECCLESIARUM EXSECRATIONE

1 — Exsecratio ecclesiae consecratae dicitur amissio consecrationis. Exsecratio ecclesiae semper est totalis, seu nequit pars aliqua exsecrari sine alia.

2 — Ecclesia amittit consecrationem ipso facto (CJC 1170):

1) Si tota destructa fuerit.

2) Si maior parietum pars corruerit.

3) Si decreto ordinarii ad usus profanos, non sordidos, redacta sit in definitivo.

3 — Ex iis sequitur ecclesiam consecrationem non amittere:

1) Si decursu temporis et paulatim fuerit tota iterum aedificata, nam moraliter eadem est.

2) Si duodecim cruces consecrationis perditae fuerunt; consecratio enim haeret parietibus et non crucibus. Tamen cruces debent quamprimum substitui per novas cruces, quae non erunt iterum consecrandae. DD 5787; 5959.

3) Si pars magna parietum corruerit, sed minor relate ad partem firmam parietum.

4) Si amplietur in longitudine aut latitudine, dummodo pars ampliata minor sit relate ad partem antea exsistentem.

5) Demolitione frontis. D 3326, I.

6) Si tectum totum corruerit, quia tectum est pars minus principalis relate ad totum.

7) Si tota crusta per parietes ubi adest exciderit; nam consecratio haeret parietibus et non crustae.

8) Si conversa fuerit ad usus profanos, etiam squalidos, licet per longum tempus, vi aut hominum malitia, excluso decreto ordinarii. In dubio tamen de edito decreto, sub conditione denuo consecranda est.

4 — Licet nefas sit consecrare ecclesiam sine altari, tamen exsecratio ecclesiae non secum fert exsecrationem altaris et vice versa. CJC 1200 § 4.

5 — Si ecclesia exsecrata fuerit, et altaria integra remanent, debent ipsa dedita opera quamprimum exsecrari, reliquiae a sepulcris auferri, et mensae a stipitibus separari.

6 — Ecclesia exsecrata debet iterum consecrari ritu PR veluti nova, ne fiat in statu pejore priori.

38 ART. II — DE ALTARIUM EXSECRATIONE

1 — Altare immobile amittit consecrationem:

1) Si mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur.

2) Si frangatur enormiter, sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis.

3) Si amoveatur sepulcri operculum sine expressa ordinarii loci licentia, etiamsi reliquiae intactae maneant.

4) Si frangatur operculum sepulcri, nisi fractio sit levis et rimula possit cemento firmari sine sepulcri violatione. CJC 1200, §§ 1, 2 et 3.

2 — Ex his sequitur altare amittere consecrationem:

1) Si fracta fuerit mensa in uno e quinque locis unctionum.

2) Si unus locus unctionis ab alio fractura separetur.

3) Si, licet loca unctionum fractura non separentur, tamen fractura habeatur uti gravis relate ad totam mensam.

3 — In praxi sola fractura levis mensae, quae cruces vel sepulcrum non attingit, non exsecrat altare. Fractura stipitis, licet gravis, non exsecrat altare, dummodo mensa haereat firmiter stipiti, nec fuerit unquam ab eo separata.

39 ART. III — DE CONSECRATIONE ALTARIS EXSECRATI ITERANDA

1 — Si altare principale ecclesiae consecratae fuerit rationabili vel alia de causa destructum vel exsecratum, altare novum erit construendum et quam primum consecrandum; nam urget consecratio novi altaris maioris etiamsi adsint altaria lateralia consecrata. DD 3651, III; 3978, VI.

2 — Si altare exsecratum fuit per fracturam mensae, perdit totaliter consecrationem et erit denuo consecrandum adhibita nova mensa.

3 — Si necesse sit stipitem substituere, et proinde mensam ab eo separare, altare erit denuo consecrandum.

4 — Si mensa fuerit a stipite separata, licet per temporis momentum, altare non perdit totaliter consecrationem et potest defectum sanari adhibita formula breviori de quo in titulo V, dummodo agatur de eadem mensa integra et de eodem stipite, licet fracto, denuo cohaerendis.

5 — Si sepulcrum tantum violatum fuit, altare non censetur totaliter consecrationem perdidisse et sepulcrum tantum erit iterum consecrandum, adhibita formula breviori de qua in titulo V.

6 — Juxta canonem 1200, § 2, n. 2, episcopus loci ordinarius per se, vel per suum delegatum, aperire potest sepulcrum in casu necessitatis; qui esse possunt duo tantum, ad firmandum vel reparandum operculum, vel ad reliquias visitandas; his in casibus sepulcrum violatum non censetur, nec proinde formula brevior erit adhibenda.

7 — A jure non declaratur quomodo se habeat episcopus vel ejus delegatus in claudendo sepulcro ab eo aperto, quando non censetur violatum. Tum in ritu PR tum in ritu breviori praescribitur usus malthae cum aqua gregoriana et cemento benedicto compositae. Proinde dicendum quod etiam in casu quo altare consecrationem non amisit, episcopus vel ejus delegatus debet, ad iterum claudendum sepulcrum, uti cemento ut supra benedicto, ne fiat sepulcrum in statu pejore priori. Ita SRC declaravit pro altaribus portatilibus. D 3504, II.

8 — Si episcopus vel ejus delegatus aperiat sepulcrum cujus operculum fuit fractum vel aliquantulum apertum, debet uti formula breviori, quia sepulcrum jam erat violatum ante visitationem.

9 — Accidere vero potest ut in ipsa aperitione sepulcri ad reliquias visitandas frangatur operculum ita ut necesse sit illud substituere; non enim liceret sepulcrum claudere cum operculo fracto. Casus practice difficultatem praesefert, nam revera sepulcrum non violatur, quia aperitur auctoritate ordinarii; non agitur tamen de simplici aperitione, sed de substitutione petrae sepulcri, quae unctiones recipere debet subter et super; in praxi formula brevior erit adhibenda.

10 — Si necesse sit altare ex uno loco ad alium transportare, de licentia episcopi, et si stipes et mensa remanent intacta, licet fuerint separata, ordinarius permittere potest usum 1mae. formulae brevioris; in praxi tamen hoc difficile fit, et altaria per mutationem loci fere semper consecrationem amittunt.

ART. IV — DE ECCLESIIS ET ALTARIBUS DUBIE CONSECRATIS

Si, adhibita diligentia ad normam juris (CJC 1159), dubium est utrum ecclesia vel altare fuerit consecratum, est iterum, ad cautelam, consecrandum. In dubio tantum negativo, si ecclesia semper uti consecrata habita fuit, consecratio non erit iteranda; in singulis casibus tamen quaestio erit studiose deliberanda et solvenda. Consule litteras Benedicti XIV *Jam inde* ad Archiepiscopum Bononiensem, sui in sede successorem, ubi absolutissimam hac de re invenies dissertationem. Bullarium tom. III, pars 2.ª, pg. 347. Corpus juris canonici in can. *Solemnitates,* de cons. dist. 1.ª.

TITULUS II

DE SOLEMNI CONSECRATIONE ECCLESIAE

CAPUT I

41 CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

ART. I — CLERUS INSERVIENS

ADERUNT:

PRO CONSECRATIONE:

Pontifex consecrator.
Sacri ministri.
Presbyter thuriferarius, qui erit etiam diaconus custos.
Caeremoniarum magistri duo.
Ministri tres pro cruce et intorticiis.
Ministri quatuor pro mitra, baculo, pontificali et scotula.
Ministri duo ad abacum, seu acolythi.
Ministri duo pro aquis sacris et thuribulo.
Cantores quatuor vel sex seu schola.
Sacristae duo cum habitu talari et superpelliceo.
Scutiferi duo vel quatuor, decenter et aequaliter vestiti, ad scalam transportandam dum consecrantur cruces ad parietes.

PRO RELIQUIARUM PROCESSIONE:

Presbyteri quatuor pro feretro.
Clerici quatuor, vel ad summum sex, pro lanternis seu intorticiis.

❯ Clericus aquae lustralis et aquae gregorianae qui unus est, finitis aspersionibus, poterit fungi munere thuriferarii.

❯ Si episcopus vel caeremoniarum magister nesciat plumbare sepulcrum opus erit auxilio cementarii.

› Clerus supra enunciatus sufficit; maior ministrorum numerus confusionem gignit.

› Praelati et clerus, qui consecrationi forte interveniant, efformant, necesse est, corpus distinctum, a consecratore cum suo clero omnino segregatum, ne fiat confusio.

› Minime aderit presbyter assistens, archidiaconus, vel alia quaecumque dignitas, et si adsit, locum suum sumat in choro usque ad finem consecrationis ecclesiae.

PRO MISSA SOLEMNI: Ministri necessarii prout missa erit ritu sacerdotali vel pontificali celebranda.

ART. II — REGULAE SERVANDAE

42 EPISCOPUS CONSECRATOR.

Mitra 1 — Episcopus utitur mitra e tela aurea toto tempore consecrationis; eam dimittit tamen quando recitat orationes (ad Deum) cum suis versibus; ad cantum antiphonae *Adesto, Deus* et hymni *Veni, Creator;* ad praefationes et ad versum *Veni, Creator Spiritus* cum duobus antiphonis sequentibus. Sine mitra erit etiam episcopus dum aspergit clerum post benedictionem aquae lustralis; cum accipit, recondit et incensat reliquias, et in fine cum incensat altare ad *Omnis terra.*

Baculus 2 — *Mitra et baculus sunt correlativa* (CE I, 17, 8); proinde episcopus baculum in manu tenet quando mitram in capite habet; excipe dum sedet vel flectit genua, dum facit aspersiones, incensationes, et unctiones. Baculum habebit antistes in manu dum recitat exorcismos salis et aquae, vel invocationes aut invitationes; illum dimittit tamen pro stationibus coram altari vel reliquiis.

› Episcopus utitur baculo etiamsi non sit loci ordinarius.

Unctiones 3 — Unctiones fiunt pollice dexterae manus. Unctiones mensae, sepulcri et tabulae sepulcri subter et super, et parietum, sunt duplices cum triplice benedictione.

Unctiones ostii ecclesiae et angulorum altaris sunt triplices sine benedictione.

Unctio frontis altaris est simplex sine benedictione et sine formula.

Aspersiones 4 — Formula *In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + Sancti* dicitur dum fiunt aspersiones ecclesiae ad extra; aspersiones ad intus fiunt sub silentio.

Incensationes 5 — Episcopus incensationes omnes facit nihil dicens, et toties quoties incensum in thuribulum imponit ter illud benedicit cum formula consueta *Ab illo benedicaris in cujus honore cremaberis. In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + + Sancti. Amen* (39).

Intonationes 6 — Sexiestricies debet episcopus cantum intonare. Si necesse sit, cantor unus a sinistris intonationes praeintonabit, tabellam cum notis musicis episcopo ostendens; usus pontificalis pro intonationibus in praxi non expedit.

Cantus 7 — Episcopus cantabit (40):

in tono simplici: orationes, invocationes et invitationes omnes.

recto tono: dialogum cum diacono custode usque ad *Pax huic domui* inclusive.

in tono proprio: quinque invocationes ad litanias.

in tono feriali *Deus, in adjutorium* et *Gloria Patri.*

in tono simplici: praefationes duas.

Recitationes clara voce 8 — Episcopus recitabit clara voce:

Benedictionem aquae lustralis.
Benedictionem aquae gregorianae.
Invocationem *Sanctificare* usque ad finem.
Benedictionem cementi.
Benedictiones incensi altaris.
Benedictionem tobalearum.
Terminationes praefationum.

Recitationes submissa voce 9 — Episcopus recitabit submissa voce sed ut a suis ministris audiri possit:

Formulam aspersionum ad extra.
Formulas omnes unctionum.
Benedictionem incensi pro thuribulo.

Positio manuum — 10 — Ad omnes collectas seu orationes episcopus manus habebit junctas antes pectus. Manus extensas ante pectus habebit dum canit praefationes usque ad terminationem exclusive.

Inclinationes — 11 — Episcopus dum dicit *Oremus*, ad nomen *Jesu*, et ad doxologias caput profunde cruci processionali inclinabit.

Abstentiones — 12 — Episcopus genua non flectit dum a diacono cantatur *Flectamus genua*, nec partes scholae recitat.

43 SACRI MINISTRI non utuntur dalmaticis; contraria consuetudo est abusus eliminandus (D 3729, III); semper stabunt ad latus consecratoris, oras pluvialis tenentes; dum sedet episcopus, sedebunt ad scabella utrimque.

Tempore unctionum subdiaconus tenebit tabellam et diaconus vasculum cum sancto oleo vel chrismate.

Diaconus mitram episcopo imponit et aufert; incensum ministrat; thuribulum, hyssopum et mappam ad manuum lotionem tradit, juxta regulas generales pro officiis ad altare.

44 PRESBYTER THURIFERARIUS inservit in 7.ª functionis parte superpelliceo indutus. Si consecrator sit SRE cardinalis, thuriferarius, si fieri possit, erat in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus, nam sacris aequiparatur ministris; in consecratione ecclesiae cathedralis canonicus ex ordine presbyterali hoc explet officium, et si jure gaudet usu rocheti, habebit superpelliceum super rochetum. Vide notam 73.

Presbyter flexis genibus thuribulum episcopo praesentat, quoties imponendum erit incensum, nisi sit canonicus in sua dioecesi vel praelatus.

45 CAEREMONIARUM MAGISTRI. 1mus. curabit de recta exsecutione ritus; debet proinde caeremoniam adamussim cognoscere. Licet debeat omnia moderari, tamen ipsi primario cura erit de consecratore cum suis ministris. Cum ecclesiarum dispositiones diversae sint, debet caeremoniis et positionibus ministrorum tempestive in loco studere. Curet etiam ministros ante consecrationem edocere ut omnes quid facere debeant, sciant, ne oriatur confusio.

Caeremoniarius 2us. agat omnia juxta mandatum 1mi., sed melius est unum tantum inservire, quam duo qui invicem non conveniunt.

46 MINISTRI DE CRUCE ET INTORTITIIS junctim semper erunt toto tempore consecrationis, unum efformantes corpus. Usus candelabrorum contrarius est rubricis et nimis fatigat clericos illos sustinentes.

Crucifer et ceroferarii semper stabunt coram episcopo, excepto tempore quo sedet in faldistorio. Imago Christi erit semper versa ad episcopum, excepto tempore processionum; si vero celebrans sit metropolita, tunc etiam in processionibus imago Christi respiciat eum; genua nunquam flectunt nec caput inclinant.

Si ad altare consecrandum aderit crux immobilis cum imagine Crucifixi, imago haec albo velo cooperietur et consecratio celebrabitur quasi crux ibidem non esset; reverentiae ipsi fieri incipiunt post vestitionem altaris tantum, quando aufertur velum.

47 MINISTRI DE ABACO duo erunt: 1mus. curam habet de sacris oleis, et, si fieri possit, erit in subdiaconatus ordine constitutus; attentus erit ne fiat oleorum confusio: unctiones omnes fiunt cum sancto chrismate, excipe unctiones mensae altaris quae, 1ma. et 2da. vice, fiunt cum oleo catechumenorum.

Ambo stabunt semper ad credentiam, 1mus. a dexteris et 2us. ad sinistram. Ad manuum lotionem praesto erunt episcopo.

48 MINISTRI LIBRI ET CANDELAE se sistunt coram pontifice cum erit benedictiones, orationes, invocationes vel praefationes lecturus, et pro *Deus, in adjutorium*, si expediat.

Tempore aspersionum, incensationum et unctionum, pro dialogo ad januam et pro alphabetis et intonationibus consistunt ad loca sua, et adhibentur tabellae quas fert subdiaconus vel caeremoniarius 1us.

49 CANTORES attenti erunt ut cantus incipiatur et finiatur dum incipitur vel finitur ritus qui cantum concomitatur; nam dispositio cantus ita fieri debet ut sine cantu non prosequatur functio.

Fas non est cantoribus seligere ad libitum partes aliquas ut cantu modulentur, exclusis aliis; nam consecratio tota esse debet cum cantu, nec licet hymnos et psalmos truncare, sed integre cani debent. Licet

tamen aliquando, si necesse sit, quaedam cantare recto tono, uti permissum est pro quibusdam partibus missae vel officii.

Sexies cantabunt *Gloria Patri*, videlicet :

In fine *Benedictus*.
In fine antiphonae *Corpora Sanctorum*.
In fine psalmi 147 *Lauda Jerusalem*.
In fine psalmo 67 *Exsurgat Deus*.
In fine antiphonae *Circumdate, Levitae*, post versum.
In fine psalmo 62 *Deus, Deus meus*.

Antiphonae in fine psalmorum non repetuntur; excipe ps. 150 *Laudate... in sanctis ejus* in cujus fine repetitur antiphona *Exsultabunt*. Vide notam n. 55.

Caeremoniarius cantoribus dabit chartulam cum nominibus titularis (vel titularium) et sanctorum martyrum quorum reliquiae erunt sepeliendae; quae quidam nomina cantores bis cantabunt in litaniis intra ecclesiam, servato ordine hierarchico.

Cantores stabunt toto tempore consecrationis; flectunt genua vero tempore litaniarum, ad primam stropham *Veni, Creator*, et ad versum *Veni, Sancte Spiritus*.

Decet ut cantores locum sumant prope altare maius toto tempore consecrationis ecclesiae; agitur enim de ritu difficillimo in quo necesse est perfecta coordinatio scholae cum ritibus ab episcopo ponendis, et praeses scholae attento animo exsequi debet quidquid caeremoniarum magister jusserit, quod haud consequitur si longe ab ipso abest.

50 PULSATOR ORGANI tempore consecrationis ecclesiae organum vibrabit ad cantum intra ecclesiam concomitandum; solemnes pulsationes audiendae erunt tantum finita consecratione.

50-A CHORUS stabit toto tempore consecrationis, excepto cum sedet episcopus vel genuflectit, nam tunc sedet vel genuflectit cum eo. Ad doxologias et ad nomen *Jesu* caput inclinabunt omnes versus crucem processionalem.

› Vide in initio tomi I regulas generales in functionibus PR servandas. Prolegomena, cap. IV.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS PRO ECCLESIAE CONSECRATIONE

51 COLOR : { Pro consecratione : albus.
Pro missa : missae celebrandae.

ART. I — IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis; bireta duo.

PRO DIACONO CUSTODE :

Amictus; alba cum cingulo; stola diaconalis; biretum; tabella cum responsionibus. Tabella n.° 1.

PRO QUATOR PRESBYTERIS RELIQUIARUM (color rubeus) :

Pro unoquoque : amictus; alba cum cingulo; casula. D 3364, V. Casulae erunt simplices et uniformes.

PRO CLERO UNIVERSO ET CANTORIBUS :

Superpellicea.
Libri cum ritu consecrationis cum musicis notis. Desclée n. 592.

SUO LOCO SUSPENSUM :

Thuribulum ardens cum navicula et copia sufficiente incensi.

AD SACRARII INTROITUM (vel prope altare maius) :

Pelvis ampla in qua poni possint sine mora aquae consecrationis, lotionum altaris vel manuum episcopi, et aliae res sacrae postea comburendae et in sacrario projiciendae.

PRO VESTITIONE ALTARIS :

Linteum ceratum ad mensuram mensae altaris (41).
Mappulae tres, quorum superior cadere debet utrimque usque ad suppedaneum.
Antependium perpulchrum.
Candelabra sex cum cruce, vel septem si post consecrationem ordinarius missam celebret.

PRO MISSA SOLEMNI :

In loco segregato ubi commodius parentur quae necessaria sunt pro missa solemni ritu pontificali vel sacerdotali post consecrationem celebranda. Si missa erit ad thronum, hic parabitur ab initio consecrationis, sed vestietur finita consecratione.

Aderunt etiam tapeta post consecrationem extendenda in presbyterio et super gradus altaris.

Canon pontificalis pro benedictione solemni.

Tabella indulgentiarum. Tabella no 7.

52 ART. II — EXTRA JANUAM PRINCIPALEM ECCLESIAE

AD DEXTERAM INTRANTIS : Mensa alba tobalea cooperta super qua parentur :

Tabellae n. 1 et 6.

Pro benedictione aquae lustralis :

Vas aqua plenum, sufficiens ad aspersiones ad extra et ad fontes ecclesiae implendos.

Sal in lance et parvum cochlear.

Hyssopum ex herbis virentibus, serica vitta circumligatum. D 3364, IV.

Vasculum aquae lustralis.

Concha ad aquam hauriendam.

Mappa ad usum episcopi.

IN MEDIO ANTE JANUAM :

Faldistorium coopertum veste sua super parvo tapeto cum pulvino, quod tamen ponitur dum episcopus sacras induit vestes post clausuram ecclesiae.

53 ART. III — IN AULA RELIQUIARUM

› Aula seu capella ubi exponi debent reliquiae sit prope ecclesiam consecrandam, ne mora patiatur consecratio; poterit esse ecclesiae conjuncta, dummodo adsit aditus independens extra ecclesiam.

ALTARE cum quatuor aut sex candelabris et cruce, vestitum tobalea utrimque pendente et rubeo antependio. Super ipso :

URNA RELIQUIARUM cum quatuor candelis hinc inde.

A LATERE EPISTOLAE

Sedes cameralis super tapeto, cum duobus scabellis nudis utrimque.

A LATERE EVANGELII mensa ampla mappa alba cooperta, super qua parentur :

ANTE OFFICIUM ad claudendas reliquias :

Capsula argentea vel ex lamina plumbea.

Reliquiae ex ossibus saltem duorum martyrum suis pergamenis distinctis, adjectis nominibus.

Tria grana thuris.

Pergamena scripta.

Lemniscus rubeus ad firmandam capsulam.

Cera hispanica cum candela.

Annulus signatorius episcopi.

POST OFFICIUM pro episcopo

Amictus; alba cum cingulo; stola; pluviale; quae omnia velo cooperiuntur; formale si celebrat ordinarius; mitra e tela aurea.

› Fas est episcopo mitram albam simplicem adhibere loco auriphrygiatae. Vide notam 176 tomi III.

Vasculum sancti chrismatis.

Gossipium solutum in lance.

Vela duo pro mitra et baculo.

Ritus consecrationis in folio (42).

Scotula cum candela.

SUPER GRADUS ALTARIS :

Pulvinus.

PROPE ALTARE :

Baculus pastoralis.

Feretrum sericis rubeis ornatum.

Crux processionalis cum intortitiis duobus, exclusis candelabris.

Lanternae cum hastis, quatuor vel ad summum sex pro processione, vel totidem intortitia.

Utrimque :

Scamna pro clero.

❯ Feretrum construetur cum quatuor cruribus altitudinis 50 centimetrorum, ita ut possit per se stare quando a sacerdotibus deponitur, nulla adhibita mensa.

54 ART. IV — INTRA ECCLESIAM CONSECRANDAM

❯ Ecclesia et altaria erunt totaliter denudata et fontes lustrales vacui. Curabitur ut ecclesia possit intus et extra facile circumiri. Ante initium consecrationis minime permittentur missae lectae in ecclesia consecranda; et si dies sit dominicus vel sanctificatus provideatur ut fideles possint alibi praeceptum audiendi sacrum adimplere.

AD CRUCES PER PARIETES :

Candelae duodecum dimidiae librae (43).

Subter unamquamque crucem tabella suspensa cum formula consecratoria. Tabella n. 5.

IN PAVIMENTO :

Pingentur lineae duae in locis ubi alphabeta scribi debent. Vide diagramma n. VI.

PROPE JANUAM :

Vas cum cineribus trituratis copia sufficiente pro alphabetis, cum cochleari ad illos aequaliter spargendos.

Viginti quatuor chartulae cum litteris abecedarii (44).

Viginti quatuor chartulae, alterius tamen coloris, ne fiat confusio, cum litteris alphabeti. Decet chartulas numerare ut facilius distribuantur. Chartulae suis locis super pavimento ponuntur ante functionis initium.

PROPE PRESBYTERIUM :

Organum ad cantum consecrationis concomitandum.

IN MEDIA ECCLESIA :

Faldistorium sua veste coopertum cum pulvino super tapeto.

AD LATUS SINISTRUM prope januam credentia minor cooperta tobalea alba super qua parentur :

Pro aqua gregoriana :

Vas aqua plenum, copia sufficiente pro aspersionibus intra ecclesiam.

Concha ad aquam hauriendam.

Sal in lance cum parvo cochleari.

Cineres in lance cum parvo cochleari.

Vinum in ampulla.

Vasculum aquae lustralis vacuum.

Mappa ad usum episcopi.

Tabella n. 2.

IN LOCO CONVENIENTI :

Scabellum gradatum quo episcopus et diaconus ascendere possint ad cruces per parietes inungendas. Aderunt sustentacula ad illud facile transferendum a loco in locum.

Hastae duae cum gossipio cerato ad cruces per parietes et cereos altarium facile et prompte accendendos.

SUPER SEPULCRO ALTARIS :

Lapis ad illud claudendum, et subtus lemniscus ad facile amovendum operculum.

PROPE ALTARE MAJUS A LATERE EPISTOLAE abacus maior pro consecratione, quae postea missae inserviri debet, coopertus ex omni parte alba tobalea, super quo parentur :

Pro unctionibus :

Vasculum cum oleo sancto in lance.

Ampullae duae cum sancto chrismate et oleo sancto in lance.

Dimidia libra gossipii soluti in lance.

Vas ad gossipium reponendum post usum.

Tabelle n. 3 et 4.

Ad claudendum sepulcrum :

Cementum et calx vel gypsum in catino.

Catinus pro mixtione cementi.

Ligula cementarii argentea seu argentata.
Mappa crassa ad abstergendum sepulcrum desuper.

Ad thus comburendum:

Cruces quinque e gossipio cerato cum quinque granis incensi sub qualibet (45).
Aspersorium metallicum pro aqua lustrali.
Gossipia cerata duo ad cruces accendendas.
Spatulae duae ligneae ad incensum eradendum cum catinis duobus in quos projiciuntur residua.

Pro lotione manuum episcopi:

Urceus aqua plenus cum pelvi.
Mappae tres et gremiale linteum in lance.
Medulla panis et citreum in lance.

Ad abstergendum altare:

Pelvis ampla cum mappis crassis duabus et spongiis duobus ad abstergendum altare cum gradibus et suppedaneo in fine 4ae. partis.

Mappae crassae duae ad sacra olea a mensa altaris in fine 5ae. partis abstergenda, postea comburendae.

› Tabellae in formulario traduntur.

› Si episcopus ex plano attingere nequeat cruces introitus, aderit parvum scabellum gradatum quo eas ungere commode possit.

CAPUT III

55 CAEREMONIAE PRIDIE CONSECRATIONEM SERVANDAE

Reliquiarum obsignatio

1 — Pridie consecrationem vespertinis horis episcopus, vel presbyter ab eo delegatus superpelliceo indutus, apud credentiam in aula reliquiarum vel in sacristia, reponit in capsula parata reliquias saltem duorum martyrum in sua quaque pergamena (46), nominibus distinctis; tria grana thuris; pergamenam scriptam ut in formulario; deinde capsulam claudit, lentice rubeo firmat et sigillo episcopali obsignat. Diagramma III.

Officium Martyrum

2 — Caeremoniarius jubet accendere cereos altaris aulae reliquiarum et reliquias recondit in arca sive in lance super altari posita.

Clerus qui recitare debet officium martyrum, habitu chorali proprio indutus, locum sumet ad scamna in aula reliquiarum, hora constituta.

Recitabitur sine cantu matutinum cum laudibus de communi plurimorum martyrum sub ritu duplici 2ae. classis, seu cum repetitione antiphonarum et psalmis de communi.

In fine officiens recitat orationem quae 3.° loco venit de communi, omittens verbum *annua* et nomina sanctorum martyrum; nec fiunt commemorationes cum officium sit votivum. DD 2886 et 4306.

› Clerici qui matutinum cum laudibus de martyribus recitant tenentur etiam ad officium diei recitandum. D 3532.

Vigiliae pro libitu

3 — Cerei altaris et ad latus urnae laudabiliter accensi remanebunt toto tempore expositionis seu usque ad processionem diei sequentis, et fideles invitentur ad orandum coram reliquiis, sed vigiliae per noctem a jure non amplius praescribuntur. D 3680, III.

CAPUT IV

RITUS SERVANDUS

56 ART. I — PRAEPARATIO

Ante adventum Episcopi

1 — Hora praestituta accenduntur cerei altaris in in aula reliquiarum, nisi, per totam noctem arserunt, dum sacri ministri et diaconus custos sacras accipiunt vestes.

Diaconus et subdiaconus cum biretis ibunt ad reliquiarum aulam et, salutata cruce altaris, se sistunt ad scabella.

› Si consecrator sit metropolita, crucifer eius, cappa seu *crocea* indutus, ibit ad januam cum clero.

Diaconus custos, sacris vestibus indutus cum bireto et tabella responsionum, locum sumit intra ecclesiam prope januam a dextris intrantis.

Adventus Episcopi

2 — Episcopus, habitu praelatitio proprio indutus, cum suis familiaribus ad ecclesiam accedit et a clero recipitur; statim pergit ad faldistorium in media ecclesia, ubi sedet, facie ad ostium principale versa, et caput bireto cooperit. Clerus sequitur episcopum et stat hinc inde in ordinibus.

Accenduntur candelae

3 — Episcopus jubebit accendere candelas ad cruces, quae quidem operatio fiat sine mora a duobus sacristis, 1mo a latere dextero et altero a latere sinistro.

Clauditur ecclesia

4 — Episcopus ab ecclesia recedit et pergit ad reliquiarum aulam. Clerus episcopum sequetur, digniores primi.

Intra ecclesiam solus remanebit diaconus custos et ostiarius, qui januam claudet nec amplius licebit cuique intrare.

In aula reliquiarum

5 — Cum pervenerit ad altare in aula reliquiarum, episcopus genuflexus super pulvinum in infimo gradu paulisper orabit.

Clerus et cantores se sistent ad scamna; ministri consecrationis erunt apud credentiam; omnes vero simul cum episcopo flexis genibus orabunt.

Episcopus sacras capit vestes

6 — Episcopus accedit ad sedem paratam et, stans nudato capite, incipit antiphonam *Ne reminiscaris* et sedet.

Caeremoniarius 2us. sacras vestes episcopi clericis, qui consecrationi inserviunt, distribuit, et accedunt ad episcopum ordinatim.

Episcopus, adjuvante familiari suo seu caeremoniario 1º, chorales vestes dimittit, sed caudam habitus talaris non solvit.

Diaconus, adjuvante subdiacono, induat episcopum sacris vestibus more solito.

Incepta ab episcopo antiphona *Ne reminiscaris,* cantores illam complebunt et recitabunt (sine cantu) septem psalmos paenitentiales nulla facta mora.

Crucifer cum cruce et acolythi cum intortitiis accensis ad loca sua ad introitum aulae se conferunt.

❱ Crucifer, si celebrat metropolita, deponit cappam seu *croceam,* induit superpelliceum, et pergit ad introitum aulae, medius inter clericos introtitia ferentes.

Ministri de libro et candela sumunt pontificale et scotulam.

In fine ultimi psalmi episcopus cum clero repetit antiphonam *Ne reminiscaris.*

Processio ad portam ecclesiae

7 — Episcopus, accepto baculo, in medio sacrorum ministrorum, oras pluvialis ejus tenentium, assurgit, et, facta cruci hastatae reverentia, cum ante eum transit, vertit se ad januam aulae.

Interim caeremoniarius 2us. ordinabit processionem ad ecclesiam consecrandam ordine sequenti:

Praeibit claviger.
Crucifer cum ceroferariis.
Cantores bini.
Clerus functioni assistens.
Ministri duo de thuribulo et aqua benedicta junctis manibus.
Ministri duo de abaco.
Pontifex cum sacris ministris cum biretis.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et candela.
Familiares episcopi.

Omnes debitam reverentiam cruci altaris conficiunt et procedunt bini sub silentio ad ostium principale ecclesiae consecrandae, viam exteriorem euntes.

❱ Si celebrans sit metropolita, crux cum intortitiis locum sumit ante eum vel ante capitulum cathedralis si aderit.

57 ART. II — RITUS EXTRA ECCLESIAM SERVANDI

(1ma. consecrationis pars)

Ante januam ecclesiae

1 — Cum venerit ante fores ecclesiae, crucifer cum ceroferariis se sistit in medio ante januam tergo ad illam verso; ministri de libro et scotula consistunt retro faldistorium facie ad episcopum; episcopus cum suis

ministris ante faldistorium; clerus efformabit circulum cum cantoribus in medio.

Cum omnes ad loca sua pervenerint, sacri ministri bireta dimittunt; episcopus baculum et mitram deponit et intonat antiphonam *Adesto, Deus,* quae a cantoribus complebitur, deinde cantat orationem *Actiones nostras* pro functionis initio. Diagramma IV.

Primae litaniae

2 — Finita oratione, episcopus, accepta mitra, genua flectit ad faldistorium; minister libri pontificale super faldistorium ponit et recedit cum candelifero. Flexis genibus omnibus, a duobus cantoribus in medio cantantur litaniae usque ad *Ab omni malo* exclusive, clero respondente sine duplicatione (47).

Finitis litaniis omnes assurgunt et sacristae faldistorium cum tapeto e medio amovent.

Benedictio aquae lustralis

3 — Episcopus, accepto baculo, accedit ad mensam a dextris positam. Crucifer cum ceroferariis se sistit versus dexteram mensae; ministri de libro (cum pontificali e faldistorio sumpto) et scotula ad sinistram episcopi se conferunt.

Episcopus sine mora benedicit aquam lustralem clara voce sine cantu, advertens ut habeat mitram in capite et baculum in manu dum recitat exorcismos salis et aquae, deponens mitram et baculum dum recitat orationes et facit trinam mixtionem salis in aqua.

Post infusionem salis diaconus mappam praesentabit episcopo ad digitos abluendos.

Finita benedictione, episcopus accipit mitram; clericus vasculum implet aqua, et cum hissopo et aqua se sistit ad dexteram diaconi; ministri libri et candelae recedunt.

Aspersio cleri

4 — Episcopus pergit in medium ubi erat prius et crucifer cum ceroferariis stabit ante eum; deinde, accepto hyssopo, intonat antiphonam *Asperges me* quae a cantoribus complebitur.

Interim pontifex seipsum aspergit, deinde sacros ministros et clerum circumstantem, locum suum non mutans, et reddit hyssopum diacono.

❯ Clerus flexis genibus aspergitur si celebrans sit loci ordinarius.

1.ª aspersio parietum

5 — Episcopus induitur mitra et iterum accipit hyssopum.

Caeremoniarius 2us. ordinabit processionem ordine quo ad ecclesiam venit, sed clericus aquae lustralis locum sumit a dextris diaconi et sacri ministri non utuntur biretis, quia ministrant episcopo. Processio ecclesiam circuit ad dexteram manum (48-49).

Dum fit circuitus pontifex aspergit parietes altius quo fieri possit, dicens semper formulam *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* interim cantores modulabuntur responsorium *Fundata est.*

Cum pervenerint ante januam principalem se sistunt omnes ut in initio, n. 57, 1.

❯ Si ecclesia sit parva, clerus functioni assistens et ministri abaci seu familiares suis remanent locis, dum episcopus ecclesiam circuit.

Episcopus, reddito hyssopo et nudato capite, et cantata a diacono invitatione ad genuflectendum, canit collectam *Omnipotens... qui in omni loco,* cum qua finis imponitur 1mae. aspersioni, et recedunt ministri libri et scotulae (50).

1.ª percussio januae

6 — Finita oratione, crucifer cum ceroferariis se sistunt ad dexteram episcopi, qui accipit mitram et baculum et ad portam accedit; deinde, duobus manibus tenens baculum, ostium percutit cum extremitate inferiori baculi dicens recto tono cum cantu *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales, et introibit Rex gloriae.*

Diaconus custos intus in tono interrogationis respondet:

Quis est iste Rex gloriae?

Episcopus iterum cantat recto tono:

Dominus fortis et potens; Dominus potens in praelio.

❯ Pro hac et ceteris dialogi partibus subdiaconus tenebit tabellam in commodum episcopi. Tabella n. 1.

2.ª aspersio parietum

7 — Episcopus reddit baculum et accipit hyssopum.

Caeremoniarius 2us. ordinat processionem ordine quo prius, et fit 2us. ecclesiae circuitus, ad dexteram iterum.

Dum fit circuitus pontifex aspergit parietes ad basim seu fundamenta, repetens formulam 1mae. aspersionis, et cantores modulantur responsorium *Benedic, Domine.*

Cum processio pervenerit ante portam principalem, omnes ad loca sua se sistunt ut in fine 1mae. aspersionis; episcopus tradit hyssopum diacono, et mitram deponit; cantata invitatione ad genuflectendum, subjungit collectam *Omnipotens... qui per Filium tuum,* ad 2am. aspersionem complendam.

2.ª percussio januae

8 — Episcopus accipit mitram et baculum et omnia fiunt ut in prima percussione.

3.ª aspersio parietum

9 — Caeremoniarius 2us. ordinabit processionem ut prius, sed circuitus fit ad sinistram manum. Dum fit circuitus pontifex aspergit parietes ad altitudinem faciei suae, repetens semper formulam 1ae. aspersionis; interim cantores cantabunt responsorium *Tu, Domine.*

Cum processio ad januam principalem pervenerit, omnes ad sua loca se sistunt ut prius, et episcopus, dimisso hyssopo et nudato capite, post invitationem ad genuflectendum, canit collectam *Omnipotens... qui sacerdotibus tuis* pro fine imponendo 3ae. aspersioni. Diagramma V.

3.ª percussio januae

10 — Omnia fiunt ut in 1.ª percussione, sed ad interrogationem diaconi custodis *Quis est iste Rex gloriae?* pontifex et clerus una simul respondent in cantu recto tono *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Aperite. Aperite. Aperite.*

Aperitio ecclesiae et introitus cleri

11 — Diaconus custos sine bireto, adjuvante ostiario, portam ecclesiae aperit et in medio se sistit. Episcopus, baculum duobus manibus tenens, cum extremitate illius facit crucem super liminare seu pavimentum ostii dicens elata voce sine cantu:

Ecce cru + cis signum, fugiant phantasmata cuncta.

Episcopus solus cum diacono et subdiacono ecclesiam introibit, dicens elata voce sine cantu *Pax huic domui.*

Diaconus custos respondet *In introitu vestro.*

Et clerus *Amen.*

Episcopus, ecclesiam ingressus, se sistit ad latus dextrum januae, baculum in manu tenens, cum suis ministris.

Crucifer cum ceroferariis, deinde clerus ecclesiam ingrediuntur ordine statuto.

Episcopus locum suum sumit et omnes processionaliter pergunt usque ad faldistorium in media ecclesia, ita ut tempus detur cantui antiphonarum *Pax aeterna,* et *Zachaee, festinans descende,* quas cantores modulantur.

Postquam clerus ecclesiam intravit, ostiarius januam claudit ne detur accessus fidelibus.

Diaconus custos, officio suo expleto, redit in sacrarium ubi sacras deponit vestes.

❱ Sacristae amovent mensam extra ecclesiam positam, sed aquam lustralem servabunt pro fontibus ecclesiae in fine consecrationis; vasculum cum aqua benedicta ponunt apud credentiam prope altare maius; aspersorium ex herbis virentibus vero super mensam aquae gregorianae extra cancellos locant.

58 ART. III — SUPPLICATIONES ET ECCLESIAE CONSIGNATIO

(2.ª consecrationis pars)

Veni Creator

1 — Cum pervenerit processio in mediam ecclesiam, crucifer cum ceroferariis se sistit retro post faldistorium facie ad ostium versa, episcopus se sistit ante faldistorium et ministri libri et scotulae se sistunt a dextris; ministri de mitra et baculo hinc inde retro post episcopum; clerus stabit in ordinibus utrimque vel efformabit circulum et cantores ad latus dextrorsum recedunt.

Episcopus, reddito baculo et deposita mitra (51), genuflectit super pulvinum faldistorii, omnibus pariter genua flectentibus; caeremoniarum magister 1mus. aufert pileolum episcopo qui intonat hymnum *Veni, Creator,* qui continuabitur a cantoribus alternatim cum clero.

Post cantum primae strophae episcopo pileolum reponitur a caeremoniarum magistro, qui assurgit et cum eo omnes.

Ad doxologiam finalem omnes caput profunde inclinabunt versus crucem hastatam.

Litaniae 2 — Finito hymno, episcopus induitur mitra et genua flectit iterum apud faldistorium et cum eo omnes. Minister de libro pontificale ad litanias apertum super faldistorium locat et recedit (52).

Cantores duo in media ecclesia aliquantulum retro episcopum flexis genibus litanias cantabunt; ceteri omnes respondebunt sine duplicatione. Diagramma VI.

› Cantores addunt bis nomina sanctorum quorum reliquiae erunt sepeliendae et titularis ecclesiae (titularium si sint plures aequeprincipales) servato ordine hierarchico.

Post versum *Ut omnibus fidelibus defunctis* surgit pontifex cum diacono et subdiacono, et ministri de libro (pontificale e faldistorio sumens) et scotula se sistunt ante eum (53).

Episcopus, accepto baculo, non se vertens, cantat quinque invocationes ut in PR habentur, dextera producens signum crucis ad verba *benedicere, sanctificare et consecrare;* quibus finitis pontificale reponitur super faldistorium et ministri de libro et scotula recedunt.

Postea reddit episcopus baculum et flectit genua cum ministris, dum cantores litanias complent.

Litaniarum collectae 3 — Post ultimum versum omnes assurgunt: episcopus, dimissa mitra, cantat orationes *Praeveniat nos* et *Magnificare, Domine,* praemissa a sacris ministris invitatione ad genuflectendum, et sic finiuntur litaniae.

› Dum cantantur litaniae, sacristae spargunt cineres per ecclesiam juxta chartulas cum litteris alphabetorum super pavimentum positas, moderante caeremoniario 2do; et litaniis finitis amovent faldistorium cum tapeto e media ecclesia, illudque ponunt prope cancellos seu ad introitum chori, sed extra presbyterium.

Alphabeta 4 — Episcopus accipit mitram et baculum, et, praecedente cruce cum luminaribus, pergit cum suis ministris ad angulum extremum ecclesiae ad sinistram intrantis.

Episcopus, duobus manibus baculum tenens, scribit super pavimentum litteras alphabeti (graeci) distinctis in locis usque ad cornu extremi oppositi (54).

Deinde pergit praelatus ad angulum extremum ecclesiae a dextris intrantis et scribit abecedarium (latinum) usque ad extremum angulum oppositum. Diagramma VI.

Dum episcopus scribit alphabeta, cantores modulantur hymnum *Benedictus* cum antiphona *O quam metuendus est,* quae quidem antiphona cantabitur in initio, post binos versus, et post *Sicut erat* (55).

Cantores cantabunt dimidiam partem hymni, id est, usque ad versum *Jusjurandum* inclusive, cum episcopus scribit alphabetum; alteram medietatem vero dum scribit abecedarium, ita ut cantus finiatur una cum ritibus ab episcopo ponendis.

Dum episcopus litteras scribit, omnes suis in locis consistunt.

Ad cantum *Gloria Patri* episcopus consistit et omnes caput cruci profunde inclinant.

Finitis alphabetis, episcopus pergit ad faldistorium extra cancellos; crucifer cum ceroferariis se sistit ante eum, tergo altari verso, et clerus ac inservientes stabunt in ordine suo retro post episcopum. Cantores cantabunt *Gloria Patri* ad quod omnes caput cruci hastatae inclinant, deinde canunt *Sicut erat* et antiphonam repetunt.

Deus in adjutorium 5 — Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt, qui, reddito baculo et deposita mitra, manibus super faldistorium positis, genuflectit unico genu, et cantat: V. *Deus, in adjutorium meum intende,* et deinde surgit (56).

Clerus respondet: R. *Domine, ad adjuvandum me festina.*

Episcopus ipse cantat *Gloria Patri* caput profunde inclinans. Clerus respondet *Sicut erat.*

Episcopus secundo et tertio canit *Deus, in adjutorium* cum *Gloria Patri* sicut fecit primo, toties elevans vocem ad semitonum, clero similiter respondente.

Clerus una cum episcopo genuflectit, assurgit et caput inclinat.

59 ART. IV — ALTARIS ET ECCLESIAE PURIFICATIO
(3.ª consecrationis pars)

Benedictio aquae gregorianae 1 — Episcopus, accepto baculo et mitra, accedit ad mensam pro benedictione aquae gregorianae paratam, ad cuius caput se sistit crux cum intortitiis; ministri de libro et scotula erunt a sinistris.

Episcopus incipit absolute clara voce sine cantu exorcismum salis; deinde deponit baculum et mitram et illum benedicit. Iterum, acceptis mitra et baculo, exorcizat aquam (57); deponit mitram et baculum, illamque benedicit, deinde cineres; facit trinam mixtionem salis et cineris cum formula propria; accipiens mixtionem, eam ter in aquam infundit adhibens formulam praescriptam. Deinde benedicit vinum, et statim ter illud infundit in aquam praedictam cum formula propria; quo facto, dicit orationem *Omnipotens... creator,* cum qua finitur benedictio aquae (58). Demum, accepta cochleari, aquam miscet.

Invocatio Sanctificare

2 — Pontifex ibidem stans accipit mitram et recitat clara voce sine cantu invocationem *Sanctificare* usque ad verba *stabilitas parietum.*

Benedictio januae

3 — Pontifex, interrupta invocatione et accepto baculo, cum sacris ministris, praeeunte cruce cum intortitiis, ministris de libro et scotula sequentibus, aliis omnibus suis locis remanentibus, accedit ad januam principalem.

Crux cum intortitiis stabit a latere sinistro januae versa ad altare; ministri de libro et scotula a sinistris episcopi se sistunt.

Pontifex cum extremitate baculi pastoralis, quem duobus manibus tenet, facit in media porta clausa cruces duas, primam in parte superiori et alteram in parte inferiori.

Invocationis complementum

4 — Postea eodem loco stans, non se vertens et reddito baculo, eadem voce prosequitur invocationem a verbis *Sit positis* usque ad finem (59).

❯ Dum episcopus pergit ad ostium ecclesiae, minister aquae implet vasculum aqua gregoriana, et accedens ad altare ponit illud in media mensa cum tabella pro benedictione altaris. Sacrista concham aqua plenam cum cochleari ad illam hauriendam ponit prope credentiam altaris, et mensam cum rebus quae benedictioni aquae inservierunt ad sacrarium reportat et faldistorium ponit a latere epistolae intra presbyterium.

Invocatio praeparatoria

5 — Finita invocatione, episcopus, accepto baculo, cum suis ministris, ordine quo venit, redit ad introitum chori; crucifer cum ceroferariis se sistunt ante eum tergo ad altare verso, et ministri de libro et scotula in medio.

Episcopus, retentis mitra et baculo, cantat invocationem *Deum Patrem omnipotentem* praeparatoriam ad aspersiones altaris et ecclesiae, et recedunt ministri libri et scotulae.

Unctio mensae cum aqua gregoriana

6 — Clerus ad chorum ibit et cantores ad locum suum prope altare maius.

Episcopus, praecedente cruce, ibit ad pedem altaris ubi, dimisso baculo et retenta mitra, intonat antiphonam *Introibo* (60), quae a cantoribus complebitur cum ps. 42 *Judica me* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae, vel si tempus adsit antiphona post binos versus repeti potest (61).

Episcopus, intonata antiphona, ascendit ad suppedaneum cum suis ministris, et super quinque cruces altaris facit unctionem simplicem cum aqua gregoriana, repetens ad unamquamque unctionem formulam praescriptam cum trina benedictione (Tabella n. 2). Dum fiunt unctiones, diaconus praebet episcopo vasculum aquae gregorianae et subdiaconus sustinet tabellam.

Post ultimam unctionem 1us. clericus de abaco ad altare accedit cum manutergio in lance, quo episcopus digitos tergit. Deinde ad altare ibit minister aquae, qui vasculum et tabellam ad abacum reportat.

Episcopus descendit in planum et mitram deponit; ministri de libro et scotula se praesentant et canit praesul orationem *Singulare illud* (62), praemissa invitatione ad genua flectenda. Finita oratione, ministri de libro et scotula recedunt et episcopus accipit mitram.

Septupla aspersio altaris

7 — Minister aquae cum vasculo et hyssopo ex herbis virentibus se sistit a dextris diaconi.

Episcopus, accepto hyssopo a diacono, intonat antiphonam *Asperges me* quae a cantoribus complebitur, qui statim incipiunt ps. 50 *Miserere,* cantabunt tamen tres versus tantum.

Interim episcopus cum sacris ministris et ministro aquae circuit altare a dextris, aspergens totam mensam cum stipite.

❯ Crucifer cum ceroferariis permanebunt ad latus evangelii vel retro post altare, juxta loci dispositionem, toto tempore aspersionis altaris, ita tamen ut episcopus possit libere altare circumire, nec teneatur cruci reverentiam facere. Si vero pontifex ante crucem transit, eam cum suis ministris capitis inclinatione salutabit.

Episcopus ad medium altare reversus, exspectat donec finiatur cantus, et, eo finito, iterum intonat antiphonam *Asperges me*, quae a cantoribus complebitur cum tribus sequentibus versibus psalmi 50.

Interim, dum cantores cantum modulantur, episcopus rursus circuit altare ut prius.

Pontifex aspersionem ut supra septies iterabit, semper super dexteram suam. Ultimo circuitu cantores, post antiphonam, cantabunt duos ultimos versus psalmi sine *Gloria* et non iterabunt antiphonam.

❯ Si altare quinque vel septem gradus habeat ita ut episcopus in plano presbyterii attingere nequeat mensam, oportebit toties quoties ascendere et descendere dum circuit; decet tamen tales ascensiones vitare si fieri possit, ne nimis gravetur praelatus.

❯ Si altare haeret parieti ita ut episcopus circulum facere nequeat, praelatus primo aspergit ad dexteram ambulans; ad medium altare revertitur et ad sinistram pergit aspergendo, ac denuo ad medium revertitur; et sic faciet quousque compleatur 1ma. altaris aspersio, nec ulla fit cruci hastatae reverentia.

1.ª aspersio parietum

8 — Finita septima aspersione altaris, episcopus se sistit retro post altare majus; crux cum intorticiis locum sumit ante episcopum; minister aquae paulo ante subdiaconum ne impediat aspersionem, ceteri omnes suis remanent locis.

Episcopus, incipiens e medio abside, circuit totam ecclesiam ad dexteram manum, praeeunte cruce cum intortitiis, aspergens parietes principales seu fundamentales ad basim cum aqua gregoriana nihil dicens.

Dum episcopus circuit ecclesiam schola cantat antiphonam *Haec est Domus Domini* cum psl. 121 *Laetatus sum* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae.

❯ Si ecclesia sit magna, poterit antiphona repeti post binos vel ternos versus psalmi ne sine cantu prosequatur aspersio, tum in ista tum in duobus sequentibus aspersionibus parietum.

2.ª aspersio parietum

9 — Postquam episcopus pervenit iterum retro post altare majus, statim incipit 2am. aspersionem sicut fecit 1am., advertens tamen ut aspergat parietes ad altitudinem faciei suae.

Dum episcopus circuit ecclesiam schola modulabitur antiphonam *Exsurgat Deus* cum ps. 67 *In ecclesiis* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae.

3.ª aspersio parietum

10 — Finita 2da. aspersione, crucifer cum cerofe-rariis se vertit ad sinistram ecclesiae et episcopus statim incipit ad sinistram manum 3am. aspersionem parietum sicut prius, advertens ut aspergat eas quo altius poterit; minister aquae ibit paulo ante diaconum.

Dum fit 3us. circuitus ecclesiae schola cantabit antiphonam *Qui habitat* cum ps. 90 *Dicet Domino,* sine *Gloria,* et sine repetitione antiphonae.

Aspersio pavimenti.

11 — Finito 3.º circuitu, episcopus redit ante altare majus; minister aquae se sistit ad dexteram diaconi.

Praeeunte cruce cum intorticiis, ceteris suis locis manentibus, episcopus ambulat usque ad portam principalem ecclesiae, aspergens pavimentum a dextris et a sinistris nihil dicens.

Deinde pontifex ibit ad sinistram ecclesiae versus medium et ambulabit usque ad dexteram, seu de pariete ad parietem, eodem modo pavimentum aspergens.

Dum Pontifex aspergit pavimentum chorus cantat antiphonas *Domus mea* cum suo versu, *Domine dilexi* cum suo versu et *Non est hic aliud.*

Versus finem aspersionis pavimenti ministri quatuor insignium ibunt ad mediam ecclesiam.

Aspersio ad 4 ventos

12 — Finita aspersione pavimenti, episcopus redit ad mediam ecclesiam versus ad altare maius; crux cum intorticiis se sistit ante episcopum tergo altari verso.

Episcopus intonat antiphonam *Vidit Jacob scalam* et statim aspergit aquam versus orientem, occidentem, aquilonem et austrum nihil dicens; interim complebitur antiphona.

❯ Pro altaris et ecclesiae aspersionibus vide diagramma V.

Episcopus tradit hyssopum diacono et hic ministro aquae, qui redit ad altare ubi spargit aquam gregorianam ad basim altaris per circuitum (63), cauto tamen ut servet copiam necessariam ad faciendam maltham; reliqua projicit in sacrario, et recedit, officio suo expleto.

Collecta

13 — Crucifer cum ceroferariis locum suum mutat et se sistit facie ad altare a latere opposito, et ministri libri et candelae se sistunt ante eum. Episcopus vertit se ad ostium ecclesiae et, dimissa mitra, cantat orationem *Deus, qui loca nomini tuo dicanda,* praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum, cum qua completur lustratio altaris et ecclesiae una simul.

Oratio et praefatio consecratoria ecclesiae

14 — Episcopus, conversus ad januam ut supra, iterata a ministris invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Deus sanctificationum,* ad ecclesiam consecrandam; deinde, non se vertens, cantat praefationem consecratoriam ecclesiae, extensis manibus ante pectus, conclusionem vero recitat submissa voce manibus junctis.

Benedictio cementi.

15 — Finita praefatione, episcopus accipit mitram et baculum et cum suis ministris, praecedente cruce cum luminaribus, pergit ad introitum chori, et ministri insignium sequuntur.

Clericus de abaco, manibus tenens catinum cum cemento benedicendo, se sistit flexis genibus coram episcopo, qui, dimissis mitra et baculo, illud benedicit cum oratione *Summe Deus,* clara voce sine cantu (64).

❯ Si consecrator non sit loci ordinarius, minister stans cementum praesentat.

❯ Advertat episcopus ut dicat: *has creaturas vel hanc creaturam sabuli — cementi — calcis — vel gypsi* prout adhibenda erit. D 4165, I.

Deinde episcopus, accepta mitra, sedet apud faldistorium paratum ad introitum chori vel extra cancellos, sacri ministri sedent ad scabella utrimque, et quiescunt aliquantulum.

60 ART. V — DE RELIQUIARUM TRANSLATIONE ET SEPULTURA

(4.ª consecrationis pars)

❯ Versus finem ecclesiae aspersionis, caeremoniarius 2us. invitabit presbyteros quatuor, qui feretrum portare debent, quatuor clericos pro lanternis sive intortitiis et thuriferarium, ad aulam reliquiarum sive ad sacrarium, ubi sacerdotes sacras induunt vestes, et pergunt omnes ad reliquiarum altare.

❯ Cum exierit ab ecclesia clerus, sacristae amovent tabellas litterarum et cineres a pavimento, ne cleri circuitus impediatur; poterunt etiam sedilia laicorum in navi ecclesiae disponere, ita tamen ut episcopus possit libere ecclesiam circumire ad cruces per parietes inungendas.

61 A — RELIQUIARUM PROCESSIO

❯ Incipit officium clerici thuriferarii.

Iter ad aulam reliquiarum

1 — Caeremoniarii ordinabunt clerum quo sequitur ordine:

Claviger, si aderit.

Crucifer medius inter ceroferarios.

Cantores bini.

Clerus consecrationi assistens juxta ordinem praecedentiae.

Clerici de abaco.

Pontifex medius inter sacros ministros cum biretis, oras pluvialis tenentes.

Ministri de mitra et baculo.

Ministri de libro et scotula.

Familiares episcopi.

❯ Si celebrans sit metropolita crucifer cum ceroferariis ibit post clerum consecrationi assistentem, sed ante capitulum cathedralis si aderit.

Ordinata processione, episcopus accipit baculum, surgit, et, facta cruci hastatae reverentia cum transit ante eam, ad locum suum consistit cum suis ministris, et pergunt omnes ad introitum aulae reliquiarum.

Oratio ad introitum aulae

2 — Ante januam aulae seu oratorii clerus consistit servato ordine statuto; crucifer cum ceroferariis vertit se ad episcopum; ministri de libro et scotula locum sumunt ante crucem, et pontifex, depositis mitra et baculo,

cantat orationem *Aufer a nobis*, praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum.

Statio ante reliquias

3 — Episcopus accipit mitram et baculum, et, ordine quo venit, clerus aulam ingreditur dum cantores cantant antiphonam *O quam gloriosum est regnum.*

Episcopus cum sacris ministris, facta reverentia, se sistit ad pedem altaris paulo retro, et reddit baculum; crucifer cum ceroferariis stabit a latere evangelii; clerus consistit in ordine; cantores erunt prope januam.

Cantores cantabunt antiphonas *Movete vos* et *Ecce populus*, omisso ps. 94 *Venite exsultemus* cum sua antiphona (65).

Finitis antiphonis, ministri libri et candelae se sistunt coram episcopo, qui, deposita mitra, cantat orationem *Fac nos*, praemissa invitatione ad genuflectendum; deinde, accepta mitra et baculo et facta cruci altaris reverentia, ibit ad faldistorium a latere dextris et sedet.

Reliquiarum processio ordinatur

4 — Caeremoniarum magistri reliquiarum urnam ponebunt super feretrum et 2us. caeremoniarius invitabit presbyteros quatuor qui portare debent feretrum ut se sistant a lateribus ejus.

Thuriferarius ad sedem episcopi accedit qui, ministrante diacono, incensum ponit in thuribulum cum trina consueta benedictione.

Caeremoniarii ordinabunt processionem quo sequitur ordine:

Claviger, si aderit.

Crucifer medius inter ceroferarios.

Cantores bini.

Clerus consecrationi assistens (66).

Clerici de credentia cum sancto chrismate et gossipio.

Thuriferarius solus agitans thuribulum in manu dextera.

Presbyteri quatuor reliquiarum feretrum portantes, sine biretis.

Quatuor clerici cum lanternis seu intortitiis ad latera feretri vel ante illud.

Episcopus cum mitra et baculo medius inter sacros ministros cum biretis oras pluvialis ejus tenentes.

Ministri de mitra et baculo.

Ministri de libro et scotula.

Familiares episcopi. Diagramma VII.

Processio iter arripit

5 — Cum ordinata fuerit processio, episcopus, accepto baculo, assurgit et incipit antiphonam *Cum jucunditate*, quae continuabitur a cantoribus, et si crucifer ante eum transit, crux ab eo salutabitur.

Presbyteri elevabunt feretrum et processio iter arripit solemniter et pausatim ad ostium maius ecclesiae.

Cantores post primam antiphonam modulabuntur tres sequentes *Surgite, Sancti Dei; Ambulate, Sancti Dei; Istorum est enim*, inter unamquamque antiphonam tamen moram facientes.

Circuitus ecclesiae

6 — Cum venerit ante portam principalem ecclesiae, processio statim incipit eodem ordine circumire ecclesiam extrinsecus ad dexteram manum.

Dum fit circuitus cantores, antiphonis absolutis, cantabunt recto tono *Kyrie, eleison* repetitis vicibus, pausatim tamen, quousque finiatur circuitus (67).

❯ Si impossibile sit ecclesiam totam circumire, circuitus fit meliore quo fieri potest modo.

Oratio ante ostium

7 — Cum venerit iterum processio ante portam principalem, crux cum intortitiis se sistit tergo ad ostium verso; ministri de libro et scotula ante crucem; presbyteri feretrum deponunt a latere sinistro intrantis; cantores stabunt a dextris intrantis; clerus efformabit circulum vel consistit in ordine.

❯ Laudabiliter pontifex hoc loco, sedens ad faldistorium, orationem ad populum habebit de ecclesia consecranda et fundatoribus gratias agat; vel orationem gratulatoriam habebit finita consecratione vel ad evangelium missae. Hoc loco legi etiam poterunt decreta ordinarii vel alia quibus ecclesia ad specialibus fruendum honoribus admittatur.

Cantores modulabuntur responsorium *Erit mihi Dominus;* eoque finito, episcopus, depositis mitra et baculo, cantat orationem *Domum*

tuam, praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum, et denuo accipit mitram, ac recedunt ministri libri et scotulae.

Unctio ostii

8 — Crucifer cum ceroferariis ecclesiam intrant spatium unius metri ne impediant caeremoniam quae sequitur; clerici de credentia cum sancto chrismate et gossipio locum sumunt a dextris diaconi.

Episcopus ad postem dexterum (ad sinistram intrantis) accedit et, intincto pollice dextro in sancto chrismate, facit unctionem triplicem super crucem postis, dicens *In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + Sancti.*

Accedit deinde ad postem sinistrum (ad dexteram intrantis) illumque eodem ritu ungit; ad locum suum reversus pollicem tergit gossypio (69).

❯ Si necesse sit, adhibebitur scabellum gradatum ut episcopus cruces commode attingere queat.

Ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo qui, accepto baculo, cantat invocationem *Porta sis benedicta,* qua finita, recedunt.

Continuatio processionis

9 — Episcopus cum suis ministris se sistit ad dexteram intrantis ne impediat transitum cleri.

Caeremoniarii ordinabunt processionem, quae ecclesiam ingreditur eodem ordine quo venit.

Cum presbyteri elevant feretrum, pontifex intonat antiphonam *Ingredimini, Sancti Dei;* cantores antiphonam complebunt et statim adjungent alteram *Gaudent in caelis,* quae complebitur cum processio ad altare pervenerit.

❯ Populus ecclesiam intrabit post processionem; custodes tamen student ut composito ordine ingrediatur, et ut locus detur liber episcopo ad inungendas cruces per parietes, nec admittantur laici in presbyterio et choro (70).

Statio ante reliquias

10 — Cum processio in presbyterium pervenerit, crucifer cum ceroferariis se sistunt ante altare tergo ad illud verso; ministri de libro et scotula stabunt ante crucem, et episcopus cum suis ministris in medio.

Presbyteri feretrum deponunt a latere evangelii, duo vel tres passus ab altari, et suis consistunt locis.

Ceroferarii stabunt circa reliquias; cantores locum sibi paratum sument prope altare; clerus ad subsellia ibit; clerici inservientes ad credentiam et thuriferarius ad latus epistolae consistunt.

Cum omnes suis in locis se sistunt, episcopus, reddito baculo, intonat antiphonam *Exsultabunt* quae a cantoribus complebitur cum ps. 149 *Cantate Domino* et ps. 150 *Laudate Dominum in Sanctis ejus,* cum repetitione antiphonae in fine sed sine *Gloria.*

Cum repetitur antiphona, episcopus mitram deponit et cantat orationem *Deus qui in omni* loco ad processionem complendam, et iterum induitur mitra.

62 B — RELIQUIARUM SEPULTURA

Unctio sepulcri deintus.

1 — Crucifer cum ceroferariis secedit ad latus evangelii vel retro post altare, et ministri de libro et scotula se sistunt ad loca sua.

Clericus 1mus. de credentia vasculum cum sancto chrismate super altare ponit cum tabella pro consecratione sepulcri.

Episcopus altare ascendit et ungit sepulcrum intus in quatuor angulis cum sancto chrismate, toties repetens formulam consecratoriam cum duplici unctione et triplici benedictione.

❯ Subdiaconus tenebit tabellam cum episcopus hanc et sequentes unctiones sepulcri peragit, vel tabella locetur in medio altari. Tabella n. 3.

Reliquiarum sepultura

2 — Episcopus ad dexteram se vertit et caeremoniarius 1us. mitram aufert; interim diaconus, a 2.º caeremoniario comitatus, in planum descendit, ad feretrum accedit, et accipit reliquiarum capsulam in lance a caeremoniario praesentata, velo coopertam; ad altare versus latus epistolae ascendit et reliquias episcopo tradit, et caeremoniarius 1mus. velum aufert.

Episcopus, acceptis reliquiis, vertit se ad altare, capsulam in sepulcro reverenter recondit, et statim intonat antiphonam *Sub altare Dei* quae a schola complebitur cum versu subsequenti; antiphona repetitur post versum sed sine *Gloria.*

Reliquiarum incensatio

3 — Clericus thuriferarius ascendit in planum altaris; pontifex, ministrante diacono, incensum benedicit et in thuribulum ponit cum solita benedictione; deinde, deposita mitra, reliquias in sepulcro positas incensat duobus ictibus duplicibus, cum modica inclinatione capitis ante et post, et, reddito thuribulo diacono, iterum accipit mitram.

Finita incensatione, presbyteri quatuor reliquiarum, facta cruci hastatae genuflexione, si transeant ante eam, redibunt bini in sacrarium, et sacristae feretrum reponunt in loco congruo.

› Clerici cum intortitiis seu lanternis ante altare stabunt usque ad finem ritus sepulturae.

Unctio tabulae subtus

4 — Pontifex ungit tabulam sepulcri subtus cum sancto chrismate duplici unctione, addita triplici benedictione, adhibita formula propria. Tabella n. 3.

Cementatio sepulcri

5 — Clerici de abaco cementum benedictum cum ligula cementarii et aqua gregoriana ad altare portant et recedunt ad loca sua.

Episcopus intonat antiphonam *Sub altare Dei (audivi)* quae a cantoribus continuabitur, et accipit ligulam cementarii.

Caeremoniarius 1us. facit maltham cum cemento et aqua gregoriana, cum qua episcopus claudit et firmat sepulcrum, adjuvante caeremoniario; interim diaconus recedit aliquantulum.

› Tabula sepulcri debet perfecte claudi et firmari in eadem linea seu altitudine per totum ac mensa altaris et non altius; quod si episcopus vel caeremoniarius nesciant sepulcrum claudere, opus erit auxilio cementarii, et episcopus opus incipit tantum (71).

Cantores post antiphonam 1mam. cantabunt 2am. *Corpora sanctorum* usque ad *Gloria* exclusive dum plumbatur sepulcrum cum cemento.

Firmato sepulcro, episcopus manum tergit mappula et caeremoniarius sepulcrum desuper mundat cum mappa crassa; clerici de abaco mappas caeremoniario tradunt.

Ad nutum deinde caeremoniarii, cantores *Gloria* cantant et omnes capita profunde cruci hastatae inclinant.

Clerici cum lanternis seu intorticiis recedunt in sacrarium post *Gloria*, facta cruci hastatae genuflexione si transeant ante illam.

Ministri de libro et scotula ascendunt a latere evangelii et episcopus, deposita mitra, cantat orationem *Deus, qui ex omnium cohabitatione*, ad ritum sepulturae claudendum, et denuo accipit mitram et recedunt ministri libri et scotulae.

Sepulcri obsignatio

6 — Pontifex, intincto pollice in sancto chrismate, facit unctionem duplicem super sepulcrum et mensam altaris simul cum triplici benedictione, proferens formulam propriam, sepulturam ratam habens, et gossipio tergit digitum. Tabella n. 3.

Thuris offertorium

7 — Clericus thuriferarius ascendit in suppedaneum a cornu epistolae, et pontifex, ministrante diacono, incensum ponit in thuribulum cum triplici benedictione.

Episcopus, retenta mitra, intonat antiphonam *Stetit angelus* et, accepto thuribulo, altare eodem ordine ac in missa incensat.

Cantores antiphonam complebunt cum pontifex altare incensat, sine *Alleluia* tamen si consecratio fit post Septuagesimam.

Finita incensatione, thuriferarius, accepto thuribulo, redit in sacrarium; episcopus cum suis ministris in planum presbyterii descendit, et, habens coram se ministros libri et scotulae, deposita mitra, cantat orationem *Dirigatur* ad thuris offertorium complendum (72).

Finita oratione, pontifex accipit mitram et baculum et pergit ad faldistorium a latere epistolae ubi sedet et baculum tradit ministro.

Lotio manuum episcopi

8 — Familiares si adsint, vel clerici de abaco, se conferunt ad episcopum pro manuum lotione; caeremoniarius 2us. porrigit citreum vel medullam panis in lance ante lotionem si maluerit praesul.

Mundatur altare

9 — Sacristae extergunt suppedaneum et gradus altaris per circuitum dum clerici de abaco extergunt mensam et stipitem altaris. Caeremoniarius 1us. tergit sepulcrum desuper, cauto tamen ne moveatur lapis sepulcri. Dum extergitur altare omnes sedent et quiescunt aliquantulum, priusquam incipiatur consecratio altaris.

63 ART. VI — DE ALTARIS CONSECRATIONE

(5.ª consecrationis pars)

› Incipit officium presbyteri thuriferarii.

Incensatio ad cruces altaris.

1 — Cum mundatum erit altare, thuriferarius se confert ad faldistorium; sacri ministri assurgunt et episcopus incensum ponit in thuribulum cum consueta benedictione, diacono naviculam ministrante.

Episcopus assurgit, ad altare accedit, et cum suis ministris ad suppedaneum ascendit; clericus thuriferarius vero ascendit a latere epistolae.

Episcopus, accepto thuribulo, incensat in forma crucis nihil dicens quinque cruces mensae altaris, ordine quo fiunt unctiones; interim silent cantores.

Episcopus, incensata ultima cruce, tradit thuribulum diacono, hic thuriferario, redit ad medium altare, et cum suis ministris in planum descendit.

Trina incensatio altaris per circuitum

2 — Ante medium altare episcopus intonat responsorium *Dirigatur* quod a schola complebitur; accipit thuribulum a diacono, et, solus cum suis ministris, circuit in planum presbyterii altare totum a dextris, illud continue incensando ductibus simplicibus. Thuriferarius recedit ad abacum et deinceps, seu usque ad finem huius partis, curam habebit de navicula thuris tantum.

Caeremoniarius 2us. invitabit presbyterum thuriferarium, superpelliceo indutum (73), ut se sistat a latere epistolae prope abacum.

Iterum reversus ante medium altare, episcopus denuo intonat responsorium *Dirigatur* quod continuabitur a cantoribus, et iterum altare circuit incensando ut prius.

Episcopus reversus iterum in medium, tertio intonat responsorium *Dirigatur* quod complebitur a cantoribus dum episcopus 3.ª vice altare circuit a dextris, ut prius incensando (74).

› Si altare sit parvum, responsorium semel cantatur pro tribus incensationibus.

› Crucifer cum ceroferariis servabunt regulam pro altaris aspersionibus datam (n. *59*, 7) et episcopus cum suis ministris crucem capitis inclinatione salutabit dummodo transeat coram ea.

Finito ultimo altaris circuitu, episcopus thuribulum tradit presbytero thuriferario, qui cum suetis osculis illud recipit.

› Pro omnibus incensationibus vide diagramma VIII.

Dum episcopus facit 3um. circuitum, clericus 1mus. de credentia defert ad altare vasculum cum oleo et tabellam pro unctionibus altaris et ad locum suum redit.

1.ª unctio mensae cum oleo

3 — Pontifex intonat antiphonam *Erexit Jacob*, quae a schola complebitur, et cum suis ministris ad suppedaneum ascendit.

Episcopus, intincto pollice in oleo, facit unctionem duplicem cum trina benedictione super crucem in media mensa, recitans formulam propriam. Deinde similiter ungit cruces angulorum ordine quo veniunt in figura tabellae 4.

Dum fiunt unctiones, schola post antiphonam *Erexit Jacob* cantabit ps. 83 *Quam dilecta*, sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae.

Dum pontifex has et sequentes unctiones mensae facit, diaconus tenebit vasculum olei et subdiaconus tabellam consecrationis altaris.

Presbyter thuriferarius, accepto thuribulo ab episcopo, circuit altare a dextris semel et iterum dum fiunt unctiones, advertens ut se sistat in planum a latere epistolae in fine 5ae. unctionis. Diagramma IX.

5.ª unctione peracta, episcopus digitos tergit gossypio, redit ad medium altare, et cum suis ministris descendit in planum presbyterii.

4.ª incensatio altaris per circuitum

4 — Presbyter thuriferarius se confert ad episcopum, qui, ministrante diacono, cui thuriferarius tradit naviculam, incensum ponit in thuribulum cum benedictione.

Episcopus intonat responsorium *Dirigatur* et, accepto thuribulo a presbytero, altare incensat a dextris sicut fecit prius; interim schola cantum responsorii complebit.

Dum fit circuitus, presbyter thuriferarius se sistit prope credentiam cum thuriferario a sinistris.

Finito circuitu, episcopus thuribulum iterum tradit presbytero; ministri de libro et scotula se praesentant, et episcopus, deposita mitra, cantat collectam *Adsit, Domine* ad 1am. unctionem mensae complendam, praemissa a ministris invitatione ad genuflectendum.

2.ª unctio mensae cum oleo

5 — Pontifex intonat antiphonam *Mane surgens Jacob* (recedunt ministri libri et scotulae), accipit mitram, ad suppedaneum ascendit cum suis ministris, et facit unctiones quinque super mensam altaris, ordine quo prius, cum eodem oleo, eademque adhibita formula.

Dum fiunt unctiones schola modulabitur inceptam antiphoham adjungens ps. 91 *Bonum est confiteri* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae.

Presbyter thuriferarius, finita collecta, circuit altare a dextris sicut prius, et, finita ultima unctione, se sistit in planum a cornu epistolae.

Post ultimam unctionem episcopus digitos tergit gossypio, ad medium altare redit, et cum suis ministris in planum presbyterii descendit.

5.ª incensatio altaris per circuitum

6 — Iterabitur incensatio altaris per circuitum cum caeremoniis superius indicatis, n. 4.

Dum fit incensatio altaris, clericus 1mus. de credentia ponit vasculum cum sancto chrismate super altari et ad abacum redit cum oleo puerorum.

Finita incensatione, episcopus tradit thuribulum presbytero et deponit mitram; ministri de libro et scotula se sistunt coram eo, ministri sacri cantant invitationem ad genuflectendum, et episcopus collectas *Adesto, Domine* et *Omnipotens... altare hoc,* ad 2am. unctionem altaris complendam.

Unctio mensae cum sancto chrismate

7 — Episcopus intonat antiphonam *Unxit te Deus,* quae a cantoribus complebitur, et recedunt ministri libri et scotulae; deinde, accepta mitra, ascendit ad suppedaneum, et ungit quinque cruces mensae altaris, eodem ordine quo fecit antea et cum eadem formula, sed adhibito sancto chrismate (75).

Dum fiunt unctiones, schola, finita antiphona, cantat ps. 44 *Eructavit cor meum,* omisso *Gloria* et sine antiphonae repetitione.

Dum fiunt unctiones (post collectas) presbyter thuriferarius iterum incipit incensationem altaris a dextris per circuitum, et, finita ultima unctione, se sistit a cornu epistolae.

Finita 5.ª unctione, episcopus ut prius digitos gossypio tergit, ad medium altare redit, et in planum presbyterii descendit cum suis ministris.

6.ª et ultima incensatio altaris per circuitum

8 — Iterabitur incensatio altaris per circuitum cum caeremoniis superius indicatis (n. 4), sed ad sinistram manum.

Dum incensatur altare clericus 1mus. de abaco ad altare portat ampullas cum sancto chrismate et oleo catechumenorum, et redit cum vasculo chrismatis et tabella unctionum.

Finita incensatione, episcopus iterum tradit thuribulum presbytero et mitram deponit.

Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui, praemissa invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Descendat quaesumus,* qua completur unctio altaris cum chrismate, et recedunt ministri de libro et scotula.

Totius mensae linitio

9 — Clericus 2us. de abaco se praesentat cum lance; diaconus accipit annulum episcopi, quem in lance reponit; deinde elevat extremitates manicarum, et gremio episcopi aptat, si videatur conveniens, gremiale seu mappa linea, ne maculentur vestes.

Episcopus intonat antiphonam *Sanctificavit* et, accepta mitra, ad suppedaneum ascendit, ubi acceptis ampullis cum oleo sancto et chrismate, illa sinistra, ista dextera, spargit olea super mensam altaris hoc modo: incipiens ab angulo dextero (evangelii) posteriori spargit olea usque ad angulum sinistrum (epistolae) anteriorem; deinde ab angulo dextero anteriori spargit olea usque ad angulum sinistrum posteriorem; deinde ampullas diacono tradit, hic 1mo. clerico de abaco, qui recedit.

Episcopus, manu dextra extensa, olea confricat, liniens et perungens totam mensam.

Presbyter thuriferarius, intonata antiphona, iterum incipit circumire altare a dextris, sine intermissione illud incensans.

Cantores inceptam antiphonam modulabuntur cum ps. 45 *Deus noster refugium* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae.

❯ . Dum fiunt unctiones mensae (nn. 3, 5, 7, 9) advertant cantores ut, quantum fieri poterit, cantus respectivi psalmi finiatur quando episcopus unctiones mensae terminat, ne sine cantu prosequantur unctiones, et ne a cantoribus moram patiatur ritus ab episcopo ponendus; tenentur tamen ad cantum totius psalmi, nec licet eum truncare.

Peruncta mensa, episcopus manus tergit mappa crassa a 1mo. caeremoniario porrecta, et cum suis ministris redit in planum ante gradus altaris.

Statio ante altare

10 — Episcopus intonat antiphonam *Ecce odor Filii mei* quae a cantoribus complebitur cum ps. 86 *Fundamenta ejus* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae. Interim episcopus cum suis ministris, oras pluvialis sustinentibus, ante altaris gradus consistit, retro tamen passum unum ut spatium adsit ministris libri et candelae.

Finito psalmo, ministri de libro et scotula ad episcopum accedunt, qui, retenta mitra, cantat invocationem *Lapidem hunc*. Statione hac ante altare complebitur ejus consecratio.

Presbyter thuriferarius, finito psalmo, finem dabit incensationi altaris, et post invocationem *Lapidem hunc* thuribulum clerico thuriferario tradit, et redit ad locum suum in choro, officio suo expleto (76).

2.ª lotio manuum episcopi

11 — Episcopus redit ad faldistorium a latere epistolae ubi, ministrantibus suis familiaribus vel clericis de credentia, manus lavat, caeremoniarius in promptu habens citreum vel medullam panis. Pontifex iterum accipit annulum et quiescit aliquantulum.

64 ART. VII — DE CONSECRATIONE ECCLESIAE

(6.ª consecrationis pars)

Benedictio incensi

1 — Thuriferarius coram episcopo se sistit, qui, ministrante diacono, incensum ponit in thuribulum cum consueta benedictione; deinde accepto baculo, assurgit et pergit ante medium altare cum suis ministris, ubi intonat antiphonam *Lapides pretiosi*.

Interim caeremoniarius 2us. jubet poni scabellum gradatum ante 1am. crucem ad latus dexterum absidis.

Unctio 1.ae crucis

2 — Episcopus ibit ante 1mam. crucem ad latus dextrum retro altare majus cum suis ministris, oras pluvialis tenentibus, sine biretis. Praeibit crucifer medius inter ceroferarios, et deinde thuriferarius cum thuribulo in manu dextera, postea clerici de abaco: 1mus. cum vasculo de chrismate, 2us. cum gossypio in lance. Sequentur episcopum ministri de mitra et baculo; alii omnes suis consistunt locis. Diagramma X.

Cum pervenerit ante 1am. crucem, crucifer cum ceroferariis se sistit ad dexteram crucis seu ad sinistram episcopi. Episcopus, reddito baculo, scabellum gradatum ascendit cum diacono, vasculum chrismatis deferente; ceteri remanent a dextris scabelli.

Episcopus, intincto pollice in chrismate, facit unctionem duplicem super crucem, adjungens triplicem benedictionem, pro qua utitur formula e cruce pendente, et redit in planum cum diacono, qui chrisma clerico tradit; deinde, si maluerit, digitum gossypio tergit.

Viri qui portare debent scabellum, illud ante crucem sequentem transferunt.

Incensatio 1.ae crucis

3 — Episcopus, accepto thuribulo a diacono, cruci modo sacratae honores thuris tribuit, retenta mitra (77), duplici ductu, facta ante et post cum suis ministris modica capitis inclinatione. Diagramma X.

Repetitio ritus ad ceteras cruces

4 — Reddito thuribulo et accepto baculo, episcopus cum suis ministris, ordine quo venit, procedit ad 2am. crucem, et deinde ad ceteras, usque ad duodecimam, et ad singulas omnia facit ut ad 1mam.

Dum fiunt unctiones, schola, absoluta antiphona *Lapides pretiosi*, cantabit ps. 147 *Lauda Jerusalem* cum *Gloria* in fine, et responsoria *Haec est Jerusalem* et *Plateae tuae, Jerusalem*.

❯ Si consecratio fit post Septuagesimam omittendum erit *Alleluia* in 1mo. responsorio et 2um. *Plateae tuae* omittetur.

❯ Cantus modulatio finire debet cum episcopus unctioni parietum finem imponit; in ecclesiis majoribus antiphona *Lapides pretiosi* repeti poterit post singulos versus psalmi, vel responsoria repetantur, ne sine cantu prosequatur solemnis parietum consecratio, interposita mora tamen.

Episcopus ponit incensum in thuribulum cum benedictione ante incensationem septimae crucis, vel frequentius, ne fiat incensatio sine incenso.

Finita consecratione ultimae crucis, viri qui scabellum portaverunt, illud in loco congruo reponunt et discedunt, officio suo expleto.

❯ In parvulis ecclesiis episcopus non utitur baculo cum consecrantur cruces ad parietes, et ministri de mitra et baculo ad altare remanent.

Reditus ad altare 5 — Ultima cruce incenso honestata, pontifex cum suis ministris pergit ante altare; crucifer cum ceroferariis et ceteri ministri se sistunt ubi erant tempore consecrationis altaris.

ART. VIII — RITUS AD CONSECRATIONEM ALTARIS COMPLENDAM

(7.ª consecrationis pars)

65 A — ALTARIS CONFIRMATIO

Incensatio mensae 1 — Ante gradus altaris episcopus, reddito baculo, incensum ponit in thuribulum cum benedictione, ministrante diacono naviculam, et statim, ad altare versus, intonat antiphonam *Aedificavit Moyses,* quae a schola complebitur, et cum suis ministris et thuriferario ad altare ascendit (78).

Episcopus in medio altari, accepto thuribulo, incensat super mensam cum tribus ductibus ad dexteram (evangelii) et tribus ductibus ad sinistram (epistolae), et tradit thuribulum diacono, hic thuriferario qui ad sacrarium redit.

Episcopus cum suis ministris descendit in planum ante gradus altaris et, habens coram se ministros de libro et scotula, cantat invocationem *Dei Patris omnipotentis.*

Benedictio incensi 2 — Pontifex baculum et mitram deponit, et clerici de credentia se sistunt ad dexteram ejus: 1mus. cum quinque crucibus cum incenso subterposito in lance; 2us. cum vasculo aquae lustralis et hyssopo metallico; deinde, praemissis versibus, recitat sine cantu orationem *Domine Deus omnipotens* pro benedictione incensi

et, accepto hyssopo, incensum aspergit nihil dicens; ministri de libro et scotula et clericus 2us. de credentia recedunt; clericus cum lance vero se sistit a dextris diaconi.

Locatio incensi super altare 3 — Episcopus cum suis ministris et clerico cum incenso ad suppedaneum ascendit, et, accipiens singulas cruces, illas propria manu super quinque cruces mensae locat, videlicet in medio et quatuor cornibus, servato ordine unctionum.

❯ Cum pontifex ad altare ascenderit, caeremoniarius 2us. signum dabit sacristis ut deferant faldistorium cum tapeto et pulvino in planum ante medium altare.

Incensi offertorium 4 — Episcopus cum suis ministris descendit in planum presbyterii ante faldistorium, et se sistit versus altare.

Clerici de abaco cum gossipiis ceratis sine mora cruces cereas super altari positas ascendunt, et ad loca sua revertuntur.

Crucibus cereis accensis, pontifex, deposita mitra, intonat *Alleluia,* quae a schola continuabitur cum verso *Veni, Sancte Spiritus,* et genua flectit ante faldistorium, dum alii ab eo exemplum sumunt; caeremoniarius 1us. caput episcopi nudabit pileolo (79).

❯ Post Septuagesimam *Alleluia* omittitur, et versus *Veni, Sancte Spiritus* a schola cantatur postquam episcopus genua flexit.

Finito versu, caeremoniarius 1us. pileolum capiti episcopi reponit, qui assurgit et cum eo omnes, qui suis consistunt locis, dum a schola cantantur antiphonae *Ascendit fumus* et *Stetit Angelus,* pausatim vero ut detur tempus cremationi incensi.

Finita 2da. antiphona, ministri de libro et scotula se sistunt retro faldistorium versus episcopum, qui cantat orationem *Domine sancte,* praemissa invitatione ad genuflectendum, cum qua completur ritus cremationis incensi, et recedunt ministri de libro et scotula (80).

Episcopus sedet paulisper in faldistorio, tergo altari verso, et clerici duo de credentia sine mora cineres combustionis ab altari eradunt ligneis spatulis, et in catinis seu vasis repositis, ad credentiam revertuntur.

Praefatio consecratoria altaris

5 — Episcopus surgit et se vertit ad altare, et ministri de libro et scotula se sistunt coram eo. Ministri cantant invitationem ad genuflectendum et episcopus orationem *Deus omnipotens,* introductoriam ad praefationem, et statim, extensis manibus ante pectus, praefationem consecratoriam altaris, conclusio vero submissa voce et junctis manibus recitat (81).

Unctio frontis

6 — Finita praefatione, episcopus intonat antiphonam *Confirma hoc, Deus* quae a cantoribus complebitur, et accipit mitram; ministri de libro et scotula recedunt; episcopus ascendit in suppedaneum cum suis ministris; clericus 1mus. de credentia cum chrismate et gossypio ascendit a latere epistolae.

Sacristae faldistorium reponunt ad latus epistolae ubi erat prius.

Episcopus facit cum chrismate unctionem simplicem super crucem in fronte altaris nihil dicens (82); deinde pollicem tergit gossypio et ad faldistorium revertitur, ubi sedet cum sacris ministris ad scabella utrimque.

Cantores, finita antiphona et omisso post Septuagesimam *Alleluia,* modulabuntur ps. 67 *Exsurgat Deus;* interim sedent omnes (83).

Abstergitur mensa altaris

7 — Dum cantatur ps. 67 clerici de abaco cum mantilibus telae grossae abstergunt diligenter mensam altaris (84).

Majestatem tuam

8 — Versus finem psalmi assurgit episcopus cum suis ministris et ad altare redit; ad nutum caeremoniarii schola cantat *Gloria* et omnes caput cruci hastatae inclinant (85). Ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo qui, deposita mitra, cantat orationem *Majestatem tuam,* et recedunt ministri libri et scotulae.

Unctio conjunctionum mensae

9 — Clericus 1mus. de credentia se sistit cum chrismate et gossipio a dextris diaconi: Episcopus, accepta mitra, ascendit ad latus evangelii et facit in angulo posteriori altaris ad conjunctionem mensae cum stipite unctionem triplicem, adhibens formulam *In nomine Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + Sancti.* Tabella n. 4.

Iterabit unctionem in angulo anteriori; procedit ad latus epistolae, et in angulo posteriori facit unctionem similem, et postea iterabit eam in angulo anteriori; redit in medium ante altaris gradus, et gossypio tergit digitos (86).

Si necesse sit, caeremoniarius 1us. unctionem frontis et angulorum gossypio abstergit.

Episcopus, versus ad altare et deposita mitra, cantat orationem *Supplices te deprecamur,* pro qua se praesentant librifer et candelifer, et sic finis imponitur ritui confirmationis altaris. Ministri libri et scotulae recedunt, et episcopus, accepta mitra, ad faldistorium a latere epistolae accedit et sedet.

3.ª lotio manuum episcopi

10 — Familiares episcopi, vel, si non adsint, clerici de credentia, se praesentant pro manuum lotione, caeremoniarius in promptu habens medullam panis vel citreum cum quo episcopus manus fricat ante lotionem (87).

66 B — ALTARIS VESTITIO

Benedictio tobalearum

1 — Ministri de libro et scotula et clerici de credentia: 1mus. portans mappas novas altaris et antependium, 2us. cum vasculo aquae lustralis et hyssopo metallico, ad faldistorium accedunt, illi a sinistris episcopi, isti a dextris (88).

Episcopus, deposita mitra, surgit et benedicit sine cantu mappas et antependium cum oratione quae hoc loco invenitur.

❯ Crucifer cum ceroferariis recedit ad latus epistolae cum in hac functionis parte reverentiae cruci altaris exhibentur.

Vestitio altaris

2 — Pontifex intonat antiphonam *Circumdate, levitae,* sedet, et accipit mitram; sacri ministri sedent ad scabella, et sedet chorus si aderit; ministri libri et scotulae recedunt.

Schola inceptam antiphonam complebit (sine *Alleluia* post Septuagesimam) et statim modulabitur cantus qui sequuntur usque ad finem ps. 62 *Deus, Deus meus,* advertens ut, quantum fieri poterit, cantus finiatur cum paratum inveniatur altare.

Caeremoniarius 2us., adjuvantibus sacristis vel clericis de credentia, super altare ponit chrismale cum parte cerata ad altare versa (89); deinde extendit mappas tres; in parte anteriori appendatur antependium album nobile (90); super mensam ponentur candelabra sex (septem si celebrat ordinarius) cum cruce, sed extinctis cereis.

Sacristae fontes ecclesiae replebunt aqua lustrali in initio consecrationis benedicta.

Postrema altaris incensatio

3 — Incepto psalmo 62 *Deus, Deus meus,* thuriferarius se sistit ad faldistorium coram episcopo, qui incensum ponit in thuribulum cum benedictione, ministrante diacono naviculam.

Versus finem psalmi surgit episcopus, et cum suis ministris vadit ante gradus altaris ubi, deposita mitra, reverentiam facit cruci dum ministri genuflectunt; deinde canitur *Gloria Patri* et omnes caput cruci altaris inclinant.

Episcopus cum suis ministris et thuriferario ad planum altaris ascendit, ibique, accepto thuribulo, intonat antiphonam *Omnis terra,* quae a schola complebitur, et mensam in medio in formam crucis incensat.

Antiphona cantata, episcopus eam iterum intonat et altare eodem modo incensat.

Episcopus tertio antiphonam, eodem tono, intonat, altare 3.ª vice eodem modo incensat, et thuribulum tradit diacono, hic thuriferario, qui ad locum suum recedit.

Episcopus cum suis ministris in planum presbyterii descendit et se sistit aliquantulum retro post altaris gradus.

Orationes finales

4 — Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt, tergo altari verso, et pontifex cantat orationes *Descendat quaesumus* et *Omnipotens sempiterne Deus,* ad altaris vestitionem complendam; deinde canit *Dominus vobiscum,* et *Benedicamus Domino,* et respondet chorus de more (91).

Discessus

5 — Episcopus accipit mitram et baculum, et, facta cruci altaris reverentia, dum ceteri omnes genuflectunt, ad sacrarium sive secretarium per breviorem viam secedit; praecedit thuriferarius, deinde crucifer cum ceroferariis et clerus ac ceteri ministri, et sequuntur ministri insignium et familiares.

❯ Sacristae a presbyterio et ecclesiae amovent res omnes quae consecrationi inservierunt, tapeta super altaris gradus et in presbyterio explicant, cereos accendunt, et cetera omnia disponunt pro missa solemni, ritu pontificali vel sacerdotali celebranda, prout in capite sequenti habetur.

❯ Festivo more sonentur sacra aera turris ad tam solemnem actionem celebrandam.

CAPUT V

DE OFFICIO ET MISSA DEDICATIONIS ET DE INDULGENTIIS CONCEDENDIS

67 ART. I — DE OFFICIO

1 — Dedicatio ecclesiae est duplex 1mae. classis Domini cum octava communi, sine feriatione tamen, nisi incidat in dominica vel alio die feriato. Officium initium sumit finita consecratione, quae generatim est hora tertia; proinde missa dicitur post tertiam ut in solemnitatibus. D 2868. Officium diei usque ad primam dicitur de officio currenti, sed in aliquo oratorio extra chorum, et de eo fit commemoratio in missa et ad vesperas dedicationis juxta rubricas.

2 — Si officium diei sit nobilior officio dedicationis, officium dedicationis transferendum erit die sequenti vel alio die libero juxta rubricas, et dicitur missa dedicationis tamquam votiva ut infra habetur. Omnino decet tamen talem incongruentiam vitare, quod facile fieri potest. Vide caput III tituli I, et notam 20.

68 ART. II — DE MISSA

1 — Post consecrationem celebranda est missa solemnis, nec sufficit missa lecta, nam rubrica praescribit ut episcopus accipiat sandalia, vel, si fatigatus nimis celebrare noluerit, faciat missam *solemniter* per aliquem sacerdotem celebrare (92).

2 — Dicitur missa *Terribilis* cum *Gloria* et *Credo;* sub unica conclusione cum oratione Missae additur oratio de titulari ecclesiae (MR add. et var. II, 7.); deinde fiunt commemorationes quae locum habent in duplicibus 1mae. classis (93).

3 — *Praefatio* erit de communi, vel de aliquo mysterio Domini 1mo. loco commemorato, exclusa semper praefatione Quadragesimae vel de sanctis seu de Beata. Unde si dedicatio celebretur in aliqua dominica, dicitur praefatio de dominica occurrente; si vero ante commemorationem dominicae fit memoria alterius mysterii Domini, praefatio erit de mysterio commemorato; si titularis sit mysterium Domini, de eo 1mo. loco fit memoria, et praefatio erit de titulari. SRC 3 Martii 1936, apud Eph. Lit. 1939, pg. 27 (94).

4 — *Ultimum evangelium* erit de dominica occurrente si consecratio locum habet in die dominica; secus de festo commemorato quod proprium habet evangelium.

69 ART. III — MISSA DEDICATIONIS AD MODUM VOTIVAE

1 — "In ipsa die dedicationis ecclesiae, etsi ejus officium ab officio nobiliori impeditum fuerit, celebratur missa de dedicatione, ad modum votivae solemnis pro re gravi, ut in n.° 3 disponitur; et in ea, sub unica conclusione cum 1ma. oratione, additur commemoratio mysterii vel sancti, in cujus honorem ecclesia dedicatur. Haec tamen missa prohibetur in duplicibus 1mae. classis Domini primariis universalis Ecclesiae, et in Dominica palmarum, quibus diebus, commemoratio tantum dedicationis et titularis additur in missa diei". MR Add. et var. II, 7.

2 — Duplicia 1mae. classis Domini primaria universalis Ecclesiae sunt: Nativitas; Epiphania; Pascha, cum tribus diebus antecedentibus et duobus sequentibus; Ascensio; Pentencostes, cum duobus diebus sequentibus; Corpus Christi; Festum ssmi. Cordis Jesu; Festum D.N. Jesu Christi Regis. In iis festis missa erit de festo cum collectis dedicationis et titularis sub unica conclusione.

3 — In missa votiva dedicationis additur, sub unica conclusione, oratio titularis, vel orationes titularium si sint duo aequeprincipales qui cum unica oratione memorari nequeunt; deinde fiunt commemorationes quae fieri debent in missa pro re gravi et publica simul causa, quae eaedem sunt ac illae quae in duplicibus 1mae. classis locum habent, sed fit etiam commemoratio officii 1mae. classis occurrentis.

Sic, ex. gr., si ecclesia consecratur in festo Assumptionis B.M.V., dicitur Missa *Terribilis* et sub unica conclusione fit memoria titularis; deinde commemoratio Assumptionis.

4 — In missa dicuntur *Gloria* et *Credo*. Quoad praefationem et ultimum evangelium vide n.° 68, 3, 4 supra.

5 — Haec missa, ut in add. et var. 11, 3, habetur, celebranda est cum cantu et de consensu ordinarii, quod quidem conceditur simul cum permissu consecrationis.

70 ART. IV — DE INDULGENTIIS

Cum consecratur ecclesia episcopus consecrator, licet jurisdictione in territorio careat, indulgentias concedit unius anni ecclesiam visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria centum dies, si episcopus; ducentos, si archiepiscopus; trecentos si S.R.E. cardinalis. CJC 1166, § 3. S. Poenit. 20 Julii 1942.

71 ART. V — CAEREMONIARUM ORDO IN MISSA ET OFFICIO

1 — Si dies sit dominicus, aspersio ante missam omittitur, quia jam facta est.

2 — Candelae ad cruces duodecim ardere debent per totum consecrationis diem, seu usque ad finem completorii; per subsequentem octavam vero ad missam conventualem vel principaliorem ecclesiae (nisi sit de requie), et ad vesperas.

3 — Pontifex ad dedicationis missam utitur pallio, si ejus gaudet usu, quaecumque sit ecclesia dedicata. Vide notam 166 tomi I.

72 *1us. Casus. Ordinarius, vel praelatus usu throni gaudens, ecclesiam consecrat et missam celebrat.*

Finita consecratione, pontifex cum suo clero pergit ad secretarium (Andrieu tome III, pg. 496), ubi solemniter incipit tertiam et sacras de more induit vestes, et, cum omnia parata sunt, processionaliter ad altare accedit ad missam celebrandam.

Missa expleta, pontifex solemniter populo benedicit et presbyter assistens legit formulam pro indulgentiis ut in formulario habetur (95).

73 *2us. Casus. Ordinarius, vel praelatus superioris gradus ecclesiam consecrat et missae solemni paratus assistit.*

Finita consecratione, episcopus cum suo clero redit ad sacrarium sive aulam reliquiarum et quiescit aliquantulum; interim in choro cantatur hora tertia et sacristae ecclesiam pro missa solemni disponunt.

Cum omnia parata sunt, celebrans cum suis ministris ad altare accedit, deinde episcopus ecclesiam ingreditur et omnia fiunt solito more.

Missa expleta, praeses solemniter populum benedicit et celebrans formulam indulgentiarum legit.

74 *3us. Casus. Ordinarius vel praelatus superioris gradus celebrat solemniter post consecrationem ab alio pontifice peractam.*

Finita consecratione, consecrator benedictionem solemnem impertit, deinde caeremoniarius 1us. legit formulam indulgentiarum et consecrator cum suo clero secedit ad sacrarium ubi, sacris vestibus depositis, accipit chorales et in pace recedit. Vide notam 95.

Antistes paulo ante consecrationis finem ad ecclesiam accedit per sacrarii ostium et pergit cum clero missae inservienti ad secretarium, ubi parat se ad missam dum canitur tertia.

Cum omnia parata sunt, ordinarius processionaliter ad altare accedit ubi omnia fiunt solito more, sed in fine ab indulgentiis concedentis abstinet.

75 *4us. Casus. Ordinarius vel praelatus superioris gradus missae solemni assistit post consecrationam ab alio antistite peractam.*

Consecrator, finita consecratione, agit ut in numero praecedenti.

Tertia cantatur in choro. Cum omnia parata sunt, celebrans ad altare accedit, et deinde ordinarius ad ecclesiam venit ubi de more recipitur et missae assistit, sed, ea finita, indulgentias non concedit.

76 *5us. casus. Consecrator celebrat ad faldistorium.*

Consecratione expleta, pontifex cum suo clero ad sacrarium secedit, ubi induit sandalia et ceteras vestes pontificales.

In choro cantatur tertia. Cum omnia parata sunt, episcopus cum suis ministris ad altare accedit et missam celebrat uti moris est. Post benedictionem finalem presbyter assistens indulgentias publicat et omnes in pace recedunt.

77 *6us. casus. Consecrator, expleta consecratione, recedit, et missa ab alio sacerdote seu praelato celebratur.*

Consecrator, finita consecratione, ad altare ascendit et populo solemniter benedicit; deinde caeremoniarius 1us. indulgentias legit, et consecrator cum suo clero recedit in pace. Tertia recitatur in choro, et cum omnia parata sunt, celebratur missa more consueto.

❯ Decet 1mo. die libero post consecrationem missam solemnem habere pro benefactoribus qui in pace Domini quiescunt.

TITULUS III

DE SOLEMNI CONSECRATIONE ALTARIS SOLIUS

CAPUT I

78 CLERUS INSERVIENS

ADERUNT:

Pontifex vel abbas consecrator.
Sacri ministri.
Presbyter thuriferarius.
Caeremoniarum magister.

Clerici decem, videlicet:

- Tres pro cruce et intortitiis.
- Quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula.
- Duo ad abacum.
- Thuriferarius, qui erit etiam minister aquae.

Cantores quatuor vel sex.
Sacrista cum habitu talari et superpelliceo.

› Si adhibeatur feretrum, aderunt presbyteri quatuor ad illud transportandum, et totidem clerici pro lanternis seu intortitiis.

› Opus erit auxilio cementarii ad claudendum sepulcrum, si nec episcopus nec magister caeremoniarium illud claudere sciant.

› Clerus, qui consecrationi forte intersit, locum sumit extra cancellos seu ab altari consecrando longius, neve consecrationi se intromisceat, ne oriatur confusio.

› Regulae servanda ab episcopo et suis ministris eaedem sunt ac pro ecclesiae consecratione, nn. *42* ad *50,* dempta quae ad ecclesiam tantum se referunt.

› Consecrator utitur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius. CE I, 17, § 5, D. 236.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS PRO ALTARIS CONSECRATIONE

79 COLOR { Pro consecratione : albus
Pro missa : missae celebrandae

ART. I — IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis; bireta duo.

PRO CANTORIBUS ET CLERO :

Superpellicea.
Libri cum ritu consecrationis cum musicis notis. Desclée n.º 593.
» Si cantores utantur pontificali in folio, in cornu evangelii prope cancellos aderit legile altum cum pontificali.

PRO THURIFERARIO :

Thuribulum ardens cum navicula et copia sufficiente incensi.

PRO MISSA SOLEMNI :

Omnia quae necessaria sunt pro missa celebranda.
Canon pontificalis.
Tabella indulgentiarum. Tabella n.º 7.
Tapetum super gradus altaris extendendum.

80 ART. II — AD ALTARE CONSECRANDUM

AD LATUS EPISTOLAE :

Faldistorium alba veste coopertum super parvo tapeto.
Scabella duo utrimque.
Abacus peramplus alba tobalea circumcirca coopertus, super quo parentur :

PRO UNCTIONIBUS :

Vascula duo cum sancto chrismate et oleo puerorum in lance.
Ampullae duae cum sancto chrismate et oleo puerorum in lance.
Gossipium solutum in lance.

Vas ad gossipium reponendum post usum.
Tabellae nn. 3 et 4.

AD CLAUDENDUM SEPULCRUM :

Cementum et calx in catino, vel gypsum.
Catinus pro mixtione malthae.
Ligula cementarii argentea.
Mappa crassa ad abstergendum sepulcrum desuper.

AD THUS COMBURENDUM :

Cruces quinque e gossipio cerato, cum quinque granis incensi sub qualibet. Vide notam 45.
Vasculum cum aqua lustrali et aspersorium metallicum.
Gossipia cerata duo ad cruces accendendas.
Spatulae ligneae duae ad incensum eradendum, cum catinis duobus in quibus projicientur residua.

PRO LOTIONE MANUUM EPISCOPI :

Urceus aqua plenus cum pelvi.
Mappae tres et gremiale linteum in lance.
Medulla panis seu citreum in lance.

AD ABSTERGENDUM ALTARE :

Pelvis cum mappis crassis duabus et spongiis duabus ad abstergendum altare cum gradibus et suppedaneo in fine 3ae. partis.
Mappae crassae duae ad sacra olea abstergenda a mensa altaris in fine 5ae. partis, postea comburendae.

SUPER SEPULCRUM ALTARIS :

Lapis ad illud claudendum; subtus ponetur lemniscus ad facile amovendum operculum.

PROPE ALTARE (sed extra ambitum oculorum) :

Pelvis ampla in qua projicientur sine mora aquae consecrationum, lotionum et res sacrae, quae erunt postea comburendae.

PROPE CANCELLOS A LATERE EPISTOLAE :

Mensa minor, alba tobalea cooperta, super qua parentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE GREGORIANAE :

Vasculum aqua plenum.
Lanx cum sale et parvum cochlear.
Lanx cum cineribus trituratis et parvum cochlear.
Ampulla cum vino.
Hyssopum ex herbis virentibus.
Mappa in usum episcopi.
Tabella n. 2.

A LATERE EVANGELII :

Mensa altera, alba tobalea cooperta, super qua parentur :

PRO EPISCOPO :

Amictus; alba cum cingulo; stola et pluviale; quae albo cooperientur velo; formale si celebrat ordinarius.
Mitra auriphrygiata. Vide notam 169 tomi III.
Vela duo pro mitra et baculo.
Lanx pro cruce pectorali.
Ritus consecrationis in folio.
Scotula cum cereo.

❱ Credentia haec inservit ad reliquias reponendas ante eorum sepulturam; ad hunc finem tempore processionis super ipsam apponuntur candelabra duo vel quatuor cum candelis accensis, quae, finita sepultura, removentur, nisi adhibendum sit feretrum.

PARIETI APPOSITUS :

Baculus pastoralis.
Crux processionalis.
Intortitia duo (exclusis candelabris).

PRO VESTITIONE ALTARIS :

Linteum ceratum ad mensuram mensae altaris. Vide notam 41.
Mappulae tres, quarum superior cadere debet a lateribus usque ad suppedaneum.

Antependium.
Candelabra quatuor vel sex cum cruce.
Tapetum super gradibus extendendum.

PROPE CANCELLOS :

Scamna pro clero, si aderit.

81 ART. III — AD ALTARE RELIQUIARUM

❱ Reliquiarum oratorium erit unum de altaribus lateralibus ecclesiae in quo non asservatur Sacramentum.

ALTARE ornabitur pallio rubeo et tobaleis; aderunt candelabra quatuor cum candelis et crux.

ABACUS alba tobalea coopertus, super quo parentur :

Capsula argentea vel ex lamina plumbea.
Reliquiae duorum martyrum suis cartulis distinctis nominibus.
Tria grana thuris.
Pergamena scripta.
Lemniscus rubeus ad firmandam capsulam.
Cera hispanica cum candela.
Annulus signatorius episcopi.
Lanx cum velo rubeo.

❱ Si reliquiae jam fuerunt reconditae in capsula, opus non erit mensam parare, sed tantum lanx cum velo rubeo super altari.

PRO RECITATIONE OFFICII :

Scamna oblonga.

PRO PROCESSIONE :

Intortitia seu cerei quatuor.

❱ Si adhibendum erit feretrum ad reliquias transportandas, parentur quatuor casulae rubei coloris, et totidem amictus, albae et cingula, vel tantum amictus et superpellicea in sacrario; in aula reliquiarum vero parabitur feretrum rubeis vestibus ornatum, et urna loco veli et lancis.

❱ Si maior copia aquae gregorianae necessaria sit, aquae benedictio fiat in receptaculo maiori, aderitque cochlear ad illam hauriendam.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

82 PRIDIE CONSECRATIONEM horis vespertinis parentur reliquiae martyrum et coram eis recitabitur officium ordine pro ecclesiae consecratione statuto in capite III tituli I (n.° 55).

83 ART. I — PRAEPARATIO

Exspectatio episcopi

1 — Hora praestituta a caeremoniarum magistro, sacri ministri in albis cum biretis, exspectabunt adventum episcopi apud scabella ad altare consecrandum.

Adventus episcopi

2 — Episcopus, habitu praelatitio proprio indutus, accedit ad ecclesiam cum suis familiaribus, ubi recipitur a rectore cum clero ecclesiae et a magistro caeremoniarum more solito.

Episcopus, postquam oravit ad altare sanctissimi Sacramenti, si adsit, pergit ad altare consecrandum et, data benedictione ministris, sedet ad faldistorium in cornu epistolae positum, facie versa ad latus evangelii, et pausatur paulisper.

Vestitio episcopi

3 — Episcopus surgit, detecto capite, et incipit antiphonam *Ne reminiscaris;* iterum sedet et caput bireto cooperit. Cantores complent antiphonam et recitant expedite sine cantu septem psalmos paenitentiales (96).

Caeremoniarum magister sacras vestes episcopi clericis distribuit, qui solito more ad praelatum accedunt.

Episcopus mozetam seu manteletum deponit, sed caudam habitus talaris non solvit; deinde a diacono, auxiliante subdiacono, sacris induitur vestibus.

Caeremoniarius attentus erit ut vestitio episcopi absolvatur cum septimo psalmo paenitentiali, quantum fieri poterit.

Crucifer, si celebrans sit metropolita, deponit cappam et induit superpelliceum.

Finito ultimo psalmo, episcopus recitat antiphonam *Ne reminiscaris* cum clero, accipit baculum et assurgit.

84 ART. II — SUPPLICATIONES

(1ma. consecrationis pars)

Collecta initialis

1 — Crucifer cum ceroferariis se sistit in medio ante altaris gradus, vel, si deerit spatium, a latere evangelii.

Episcopus cum suis ministris pergit ante medium altare, distans tamen passus duos ab ultimo gradu, ubi, reddito baculo ministro, a diacono exuitur mitra.

Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui intonat antiphonam *Adesto, Deus unus,* quae a schola complebitur. Deinde pontifex cantat collectam initialem *Actiones nostras.*

Oratione cantata, clerici de abaco seu sacristae faldistorium cum pulvino et tapeto in medio plano presbyterii locant.

Litaniae

2 — Finita oratione, episcopus induit mitram et procedit ante faldistorium ubi flectit genua super pulvinum; sacri ministri genuflectunt utrimque; ministri de libro et scotula recedunt, sed pontificale super faldistorium prius ponitur a librifero. Vide notam 52.

Cantores duo, flexis genibus in medio choro retro post episcopum, litanias cantant, addentes bis nomina sanctorum martyrum quorum reliquiae erunt sepeliendae et titularis seu titularium altaris, servato ordine hierarchico.

Cantato *Ut omnibus fidelibus defunctis,* surgit episcopus cum suis ministris, et, habens coram se ministros de libro et scotula, accepto baculo, cantat invocationes PR hoc loco positas, altari dextera benedicens; postea, reddito baculo, iterum genuflectit cum suis ministris et cantores litanias complent.

Deus in adjutorium

3 — Finitis litaniis, assurgunt omnes, et episcopus, deposita mitra, ibidem stans, cantat, manibus super extremitates faldistorii appositis *Deus, in adjutorium,* dum facit simul cum clero genuflexionem simplicem.

Respondet clerus *Domine, ad adjuvandum;* episcopus cantat *Gloria Patri,* caput profunde cruci inclinans cum toto clero, qui respondet *Sicut erat* sine *Alleluia.*

Supplicatio haec iterum et tertio ab episcopo repetitur, quoties elevans vocem ad dimidium tonum. Vide notam 56.

85 ART. III — ALTARIS PURIFICATIO

(2da. consecrationis pars)

Benedictio aquae gregorianae

1 — Episcopus accipit mitram et baculum et accedit ad mensam in cornu epistolae. Crucifer cum ceroferaris se sistit ad caput mensae; ministri de libro et scotula stabunt a sinistris episcopi, qui statim incipit benedictionem aquae gregorianae clara voce sine cantu.

Post exorcismum salis, episcopus deponit baculum et mitram et illum benedicit. Iterum, acceptis mitra et baculo, exorcizat aquam; deponit mitram et baculum ad eam benedicendam. Deinde benedicit cineres et facit trinam mixtionem salis et cineris cum formula propria. Postea accipiens mixtionem salis et cineris eam ter infundit in aquam adhibens formulam propriam. Deinde benedicit vinum, quod ter infundit in aquam praedictam cum formula propria, et dicit orationem finalem *Omnipotens... creator.* Demum aquam miscet. Vide notas 58 et 59.

❱ Advertat pontifex ut omittat verbum *Ecclesia* in exorcismis salis et aquae et in oratione finali si legere debeat benedictionem in ritu consecrationis ecclesiae.

Dum benedicitur aqua, clerici de abaco seu sacristae faldistorium cum suo tapeto reponunt ad latus epistolae, congruo spatio ab altari ne ritus consecrationis impediat.

Unctio mensae cum aqua gregoriana

2 — Minister aquae, finita ejus benedictione, vasculum plenum aqua sine hissopo, in medio altari una cum tabella benedictionis altaris ponit, et ad suum locum revertitur.

Crucifer cum ceroferariis se sistit retro post altare majus vel ad latus evangelii, ita ut altare possit libere ab episcopo circuiri.

Episcopus, accepta mitra, pergit ante gradus altaris cum suis ministris ubi intonat antiphonam *Introibo,* quae a cantoribus complebitur cum ps. 42 *Judica me;* advertant cantores ut omittant repetitionem antiphonae intra versus et in fine. Vide notam 61.

Episcopus ascendit ad suppedaneum ubi facit quinque unctiones super quinque cruces altaris, quo ordine habetur in tabella, cum aqua gregoriana, recitans formulam propriam dum diaconus sustinet vasculum aquae et subdiaconus tabellam.

Post ultimam unctionem clericus 1mus. de credentia portat mappulam ad altare, quam diaconus episcopo praesentat ad digitos tergendos, et minister aquae vasculum et tabellam ad abacum reponit.

Episcopus descendit in planum, ministri de libro et scotula se sistunt ante eum; et ipse, deposita mitra, cantat orationem *Singulare illud,* praemissa invitatione ad genuflectendum; et sic finis imponitur ritui; deinde ministri de libro et scotula recedunt. Vide notam 62.

Septupla altaris aspersio

3 — Minister cum vasculo aquae et hyssopo ex herbis virentibus se sistit a dextris diaconi.

Episcopus, accepto hyssopo a diacono, intonat antiphonam *Asperges me* quae a cantoribus complebitur, qui statim incipiunt ps. 50 *Miserere,* cantabunt tamen tres versus tantum.

Interim episcopus cum sacris ministris et cum ministro aquae circuit altare a dextris, aspergens totam mensam cum stipite.

Crux cum intorticiis consistunt ad latus evangelii vel retro post altare toto tempore aspersionis, ita ut altare possit libere ab episcopo circumiri, nec teneatur toties cruci reverentiam facere.

Episcopus ad medium altare reversus, exspectat donec finiatur cantus, et, eo finito, iterum intonat antiphonam *Asperges me,* quae a cantoribus complebitur cum tribus sequentibus versis psalmi 50.

Interim dum cantores cantum modulantur, episcopus rursus circuit altare ut prius, illud aspergens.

Aspersio septies iterabitur, semper ad dexteram. Dum fit ultimus circuitus, cantores, post antiphonam, cantabunt duos ultimos versus psalmi sine *Gloria,* et non iterabunt antiphonam.

❱ Si altare plures gradus habet ita ut episcopus ex plano attingere nequeat mensam, opertebit toties quoties ascendere et descendere dum circuit; decet tamen tales ascensiones vitare.

Finito septimo circuitu, ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo in planum presbyterii, qui, reddito hyssopo diacono et

deposita mitra, cantat orationem *Deus, qui es visibilium rerum omnium,* praemissis versibus *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum,* ad altaris aspersionem complendam, et recedit minister aquae (97).

Benedictio cementi

4 — Clericus 1mus. de credentia se praesentat a dextris episcopi cum cemento in catino, qui ibidem clara voce sine cantu dicit *Dominus vobiscum* et orationem *Summe Deus,* qua benedicitur cementum, et recedunt clerici de libro et scotula.

❯ Advertat episcopus ut in oratione dicat *has creaturas* vel *hanc creaturam sabuli, cementi, calcis vel gypsi* prout adhibenda erit. D 4165,I.

Episcopus, accepta mitra, se sistit ante faldistorium ubi sedet et quiescit aliquantulum, dum ordinantur quae ordinanda sunt pro processione.

Minister aquae effundit seu spargit aliquantulum aquae gregorianae ad basim altaris per circuitum, cauto tamen ut servet copiam necessariam ad faciendum cementum; residuum projicit in sacrarium.

86 ART. IV — DE RELIQUIARUM TRANSLATIONE ET SEPULTURA

(3.ª consecrationis pars)

❯ Si reliquiae transportentur super feretrum, fit ut in consecratione ecclesiae exponitur; aspersione altaris incepta, caeremoniarius admonebit presbyteros qui feretrum portare debent ut se parent in sacrario vel in aula reliquiarum, ibique exspectent, cum thuriferario et quatuor clericis cum cereis, adventum episcopi cum suo clero.

A — RELIQUIARUM TRANSLATIO

❯ Incipit officium clerici thuriferarii.

Iter ad reliquiarum aulam

1 — Caeremoniarius processionem ad altare reliquiarum disponit quo sequitur ordine:

Thuriferarius cum thuribulo in manu sinistra.
Crucifer cum ceroferariis.
Cantores bini.
Clerus assistens.

Ministri duo de abaco.
Episcopus, medius inter sacros ministros cum biretis, oras pluvialis tenentes.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et scotula.
Familiares episcopi.

Cum omnia ordinata sunt, episcopus, accepto baculo, surgit et, facta cruci hastatae reverentia si transit ante eam, procedit sub silentio cum toto clero ad altare ubi reliquiae pridie positae fuerunt, arrepta breviori via.

Oratio ad introitum aulae

2 — Cum pervenerint ad reliquiarum aulam, crucifer cum ceroferariis se sistunt ad cancellos facie ad extra; clerus et cantores stant in ordine; ministri de libro et scotula ante crucem consistunt. Episcopus, depositis baculo et mitra, cantat collectam *Aufer a nobis,* praemissa invitatione ad genuflectendum.

Oratio coram reliquiis

3 — Finita oratione, clerus aulam ingreditur; crux cum intortitiis ibunt ad latus evangelii; ministri de libro et candela ante pontificem; clerus consistit utrimque. Cum quisque ad suum pervenerit locum, episcopus ante altaris gradus cantat orationem *Fac nos.*

Reliquiarum processio

4 — Caeremoniarius cereos ardentes tradit quatuor clericis. Thuriferarius se sistit coram episcopo qui, ministrante diacono, incensum ponit in thuribulum cum benedictione (98).

Diaconus lancem cum reliquiis episcopo tradit, qui se vertit ad januam et accipit mitram (99).

Caeremoniarius ordinat processionem ad altare consecrandum per longiorem viam, ordine quo sequitur:

Crucifer cum ceroferariis.
Cantores bini.
Clerus assistens.
Ministri duo de abaco.
Thuriferarius thuribulum agitans in manu dextera.
Clerici quatuor cum intortitiis.

Episcopus cum mitra, portans reliquias, medius inter suos ministros cum biretis.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et scotula.
Familiares episcopi.

Cum processio iter ingreditur, episcopus intonat antiphonam *Cum jucunditate* quae a cantoribus complebitur (sine *Alleluia* post Septuagesimam).

› Si tempus aderit, cantores, finita antiphona, cantabunt responsorium *Surgite, sancti Dei.*

› Minister de baculo cum baculo ibit ante episcopum ipse solus, si talis fert consuetudo, episcopus enim manus habet impeditas. CE I, 17, 6.

Ad altare consecrandum

5 — Ad altare consecrandum, crux cum intortitiis se sistit ad latus evangelii vel retro altare, cantores prope cancellos ne impediant circuitum altaris; clerus scamna petit; clerici cum intortitiis consistunt utrimque stantes semper; thuriferarius se sistit ad latus epistolae.

Episcopus deponit reliquias super mensam a latere evangelii inter cereos ardentes, et se sistit in medio ante gradus altaris.

Statio coram reliquiis

6 — Episcopus, retenta mitra, intonat antiphonam *Exsultabunt* quae a cantoribus complebitur, adjectis ps. 149 *Cantate Domino* et ps. 150 *Laudate Dominum* sine *Gloria* sed cum repetitione antiphonae in fine.

Versus finem psalmi 150 ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris vel ante episcopum qui, depositis baculo et mitra, cantat orationem *Deus qui in omni loco,* ad complendam processionem seu stationem, et, ea finita, mitram iterum accipit. Ministri de libro et scotula recedunt.

87 B — RELIQUIARUM SEPULTURA

Unctio sepulcri deintus

1 — Clericus 1mus. de credentia vasculum cum sancto chrismate super altare ponit cum tabella pro unctionibus sepulcri, et caeremoniarius 1us. tabulam sepulcri amovet.

Episcopus ad altare ascendit cum suis ministris et ungit sepulcrum intus in quatuor angulis cum sancto chrismate, quater repetens formulam propriam, cum duplici unctione et triplici benedictione. Tabella n.° 3.

Subdiaconus tenet tabellam dum episcopus has et sequentes unctiones sepulcri peragit.

Reliquiarum sepultura

2 — Episcopus ad dexteram se vertit; diaconus ei mitram aufert et in planum descendit, reliquias de manu caeremoniarii recipit, ad suppedaneum ascendit, et reliquias episcopo tradit, qui se vertit ad altare et reliquias in sepulcro reverenter recondit.

Pontifex intonat antiphonam *Sub altare Dei,* quae a schola complebitur cum versu sequente; antiphona repetitur post versum sed sine *Gloria.*

Reliquiarum incensatio

3 — Clericus thuriferarius ascendit in suppedaneum a latere epistolae ubi pontifex, ministrante diacono, incensum benedicit et thuribulo imponit.

Episcopus sine mitra reliquias in sepulcro reconditas incensat duobus ictibus duplicibus, cum parva inclinatione capitis ante et post, et, reddito thuribulo, iterum accipit mitram.

Unctio tabulae subtus

4 — Pontifex, accipiens sinistra manu tabulam sepulcri, ungit eam subtus cum sancto chrismate cum duplici unctione et triplici benedictione, adhibita formula propria.

Cementatio sepulcri

5 — Clerici de credentia ferunt ad altare cementum benedictum cum ligula et aqua gregoriana, et recedunt.

Episcopus intonat antiphonam *Sub altare Dei (audivi)* quae a cantoribus complebitur.

Caeremoniarius facit maltham cum aqua gregoriana et cemento benedicto.

Episcopus, accepta ligula cum maltha, sepulcrum claudit et firmat, adjuvante caeremoniario; interim cantores post antiphonam 1mam. cantabunt 2am. *Corpora sanctorum,* usque ad *Gloria* exclusive, dum plumbatur sepulcrum. Vide notam 71.

❱ Tabula sepulcri debet perfecte claudi et firmari in eadem linea ac mensa altaris et non altius: si episcopus vel caeremoniarius nescit sepulcrum claudere, opus erit auxilio cementarii.

Sepulcrum desuper mundatur

6 — Firmato sepulcro, episcopus manus tergit et caeremoniarius sepulcrum desuper mundat cum mappa crassa: clerici de credentia mappas caeremoniario tradunt.

Ad nutum caeremoniarii cantores *Gloria* cantant et omnes caput profunde cruci inclinant.

Oratio ad sepulturam complendam

7 — Ministri de libro et scotula ascendunt a latere evangelii et episcopus, deposita mitra, cantat orationem *Deus, qui ex omnium cohabitatione,* ad ritum sepulturae complendum, et denuo accipit mitram, et recedunt ministri libri et scotulae. Clerici cum intortitiis ad sacrarium redeunt.

Unctio sepulcri clausi

8 — Pontifex, intincto pollice in sancto chrismate, facit unctionem duplicem super sepulcrum et mensam altaris insimul cum triplici benedictione proferens formulam propriam; deinde gossipio tergit digitum.

Altaris incensatio

9 — Clericus thuriferarius ascendit in suppedaneum a cornu epistolae et pontifex, ministrante diacono, incensum ponit in thuribulum cum triplici benedictione.

Episcopus, retenta mitra, intonat antiphonam *Stetit angelus* et, accepto thuribulo, altare incensat sub silentio, ordine ad introitum missae servato. Vide notam 72.

Cantores antiphonam inceptam complebunt dum pontifex altare incensat, sine *Alleluia* si consecratio fiat post Septuagesimam.

Oratio Dirigatur

10 — Finita incensatione, thuriferarius ad sacrarium redit, et episcopus descendit in planum ante gradus altaris; ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo, qui deposita mitra, cantat orationem *Dirigatur* ad incensationem complendam; iterum accipit mitram, ad faldistorium pergit et sedet. Vide notam 72.

Lotio manuum episcopi

11 — Familiares si adsint, vel clerici de credentia, coram episcopi se sistunt pro manuum lotione; 1mus. clericus vel caeremoniarius porrigit citreum vel medullam panis in lance.

Mundatur altare

12 — Sacristae suppedaneum et gradus altaris extergunt, dum clerici de credentia extergunt mensam et stipitem, cauto tamen ne moveatur lapis sepulcri.

Interim, dum extergitur altare, episcopus quiescit aliquantulum, priusquam incipiatur consecratio altaris proprie.

88

ART. V — ALTARIS CONSECRATIO

(4.ª consecrationis pars)

Omnia fiunt ut in consecratione altaris una cum ecclesia, titulus II, cap. VI, art. VI, n. *63* (100).

Adverte tamen: finita invocatione *Lapidem hunc,* episcopus ibidem ante altare intonat antiphonam *Aedificavit Moyses* quae a schola complebitur, sed non incensatur altare. Deinde pontifex, retenta mitra, cantat 2am. invocationem *Dei Patris omnipotentis,* cum qua completur statio ante altare et ipsius altaris consecratio.

Episcopus deinde ad faldistorium redit, et sedens manus de more lavat et tergit.

Finita 2da. invocatione supra, presbyter thuriferarius finem dabit incensationi altaris, et ad sacrarium revertitur, officio suo expleto.

89

ART. VI — RITUS AD CONSECRATIONEM ALTARIS COMPLENDAM

(5.ª consecrationis pars)

A — ALTARIS CONFIRMATIO

Benedictio incensi.

1 — Clerici de credentia, 1mus. ferens cruces quinque cum granibus incensi in lance, et 2us. cum vasculo aquae lustralis et hyssopo metallico, se sistunt ad dexteram episcopi, et ministri de libro et scotula a sinistris.

Episcopus, deposita mitra, surgit et benedicit incensum cum oratione *Domine Deus omnipotens,* praemissis versibus *Domine, exaudi* et *Dominus*

vobiscum, sine cantu; deinde aspergit incensum aqua lustrali. Sedet episcopus et accipit mitram. Clerici de credentia et de libro et scotula recedunt.

Locatio incensi super altare.

2 — Surgit episcopus et pergit cum suis ministris ante gradus altaris; clericus 1mus. de credentia cum crucibus in lance ibit a dextris diaconi et simul omnes altare ascendunt.

Episcopus propria manu accipiens cruces in lance positas, eas super quinque crucibus altaris locat, eodem ordine quo unctiones factae fuerunt.

❯ Cum episcopus altare ascendit, sacristae faldistorium cum pulvino ante altare ponunt in loco ubi positum fuit pro litaniis.

Cetera omnia.

3 — Cetera omnia fiunt ut in consecratione altaris simul cum ecclesia a n. *65,* 4 ad finem, advertat tamen pontifex ut cantet praefationem propriam altaris solius, quae sancti Ambrosii vocatur. Andrieu tome III, pg. 492.

90 B — ALTARIS VESTITIO

Omnia fiunt ut in consecratione altaris simul cum ecclesia, n. *66.*

❯ Diagrammata VII, VIII et IX etiam in consecratione altaris solius inserviunt.

CAPUT IV

DE MISSA ET INDULGENTIIS

91 ART. I — DE MISSA ET INDULGENTIIS

1 — Praeceptiva est, juxta rubricas PR, celebratio missae super altare noviter consecratum, quae quidem celebratio fieri debet statim post consecrationem altaris et non die sequenti. Post consecrationem solemnem decet celebrare missam solemnem, dicit enim rubrica *facit missam solemniter celebrari.*

2 — Missa dicitur de communi dedicationis ecclesiae cum oratione propria altaris. Sub unica conclusione additur oratio titularis (ium) altaris; deinde fiunt commemorationes quae locum habent in missa pro

re gravi, seu in festis 1mae. classis. Dicuntur *Gloria* et *Credo;* quoad praefationem et ultimum evangelium, vide n. *68,* 3 et 4.

3 — Missa est votiva pro re gravi ad instar, etiamsi sit lecta, et prohibetur diebus quibus missa pro re gravi ac publica simul causa prohibetur; in illis sumitur missa diei, adjectis sub eadem terminatione orationibus de consecratione altaris et de titulari (bus), etiam in festis Domini primariis; deinde fiunt commemorationes quae faciendae sunt. MR Add. et var. II, 3.

92 QUOAD INDULGENTIAS concedendas, confer quae pro ecclesiae consecratione dicta sunt in praecedenti titulo, n. *70.*

ART. II — CAEREMONIARUM ORDO IN MISSA

93 *1us. casus. Consecrator celebret solemniter in faldistorio*

Dicto *Benedicamus Domino,* episcopus accipit mitram et baculum, et cum suis ministris redit in sacrarium ubi induit sandalia et se parat ad missam de more celebrandam. Interim sacristae ab altari consecrato amovent quae consecrationi inservierunt, et praeparant quae praeparanda sunt pro missa pontificali. Post benedictionem solemnem presbyter assistens publicabit indulgentias.

❯ Minime convenit ut episcopus se paret ad celebrandum apud altare nondum paratum cum gignat confusionem; propterea rubrica facit epsicopum in sacristia vel alibi se ad celebrandum parare.

94 *2us. casus. Consecrator missae ad thronum assistit*

Dicto *Benedicamus Domino,* consecrator pergit ad thronum, ibique, adjuvantibus suis ministris, sacras deponit vestes. Sacri ministri ad sacrarium recedunt et familiares episcopum cappa induunt. Missa celebratur more solito. Post benedictionem solemnem celebrans indulgentias publicabit.

❯ Si pontifex velit paratus missae solemni assistere, cum pervenerit ad thronum benedicit suos ministros qui recedunt. Missa dicitur more solito et, post benedictionem solemnem, presbyter assistens throni indulgentias publicabit.

95 *3us. casus. Consecrator missae solemni assistit in choro.*

Dicto *Benedicamus Domino,* ministri de libro (cum canone) et scotula se sistunt coram episcopo, qui cantat benedictionem solemnem cum mitra et baculo more solito; deinde caeremoniarius indulgentias publicat.

Si sit metropolita, crucifer, sine ceroferariis, se sistit ante pontificem, qui sine mitra benedictionem impertiet.

Post benedictionem episcopus in planum presbyterii salutat crucem, ministri vero genuflectunt, deinde ibit ad faldistorium ubi sacras deponit vestes et benedicit ministros qui recedunt; deinde, adjuvante familiari, induit manteletum seu mozetam et redit ad locum suum in choro vel ad genuflexorium a latere epistolae. Missa celebrabitur more solito.

96 *4us. casus. Consecrator legit missam*

Si consecrator velit missam lectam celebrare (quod non convenit si consecratio fuerit solemnis cum cantu), post *Benedicamus Domino* episcopus solemniter benedicit populum et indulgentias publicat caeremoniarium magister. Sacri ministri recedunt et duo capellani cum superpelliceis episcopo celebranti assistunt more solito. Episcopus ad missam abstinebit ad usu mitrae, cum non sit ritus pontificalis.

TITULUS IV

DE RITIBUS ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

DE CONSECRATIONE PLURIMORUM ALTARIUM AB EODEM PONTIFICE CUM VEL SINE ECCLESIA

97 ART. I — PRAENOTANDA

1 — Juxta PR plura altaria simul, cum vel sine ecclesia, consecrari possunt. Cum vero dedicatio ecclesiae sit ritus ex se protractus, non convenit eodem tempore alia altaria consecrare, quod quidem fieri potest alio die, ante vel post consecrationem ecclesiae. Consecratio altarium lateralium una cum ecclesia tantum possibilis est in parvis ecclesiis ubi altaria minora prope altare majus construuntur.

2 — Nunquam plus quam tres, vel ad summum quatuor altaria simul consecrentur. Oportet autem ut non sint in dispertitis locis, ita ut consecrator possit omnia altaria videre; quod si sint separata per parietes, vel alia hujusmodi, altaria erunt separatim consecranda.

3 — Iidem inserviunt ministri ac in consecratione unius altaris, cum vel sine ecclesia; aderit tamen caeremoniarius alter, etiamsi non consecretur ecclesia, et omnes easdem servabunt regulas.

98 ART. II — DE PRAEPARANDIS

Praeter ea de quibus in titulo II, capite III, vel titulo III, capite II, parantur:

AD LATUS EVANGELII UNIUSCUJUSQUE ALTARIS:

Parva mensa, alba tobalea cooperta, cum duobus luminaribus, ad recipiendas reliquias.

SUPER SEPULCRO UNIUSCUJUSQUE ALTARIS :

Tabula ad illud claudendum, et subtus lemniscus ad eam facile amovendam.

AD ABACUM :

Mappae crassae plures ad abstergenda sepulcra, sacra olea, vel aquam lustrationis.

Cruces quinque e gossipio cerato cum quinque granis incensi pro unoquoque altari in eadem lance.

Spatulae ligneae quatuor vel plures cum catinis.

PROPE UNUMQUODQUE ALTARE :

Linteum ceratum; tobaleae tres; candelabra cum cruce; tapetum.

AD RELIQUIARUM ALTARE :

Capsulae cum reliquiis ut habetur in titulo III; super unamquamque inscribatur nomen altaris in quo erit sepelienda, ne oriatur confusio.

Aqua gregoriana, maltha, sacra olea, et gossipium aderunt quae satis sint pro omnibus altaribus.

99 ART. III — RITUS SERVANDUS

1 — Altare maius, vel, si non sit eo die consecrandum, unum altare minus habeatur uti principale, apud quod episcopus indumenta capiat, preces recitet et alia faciat; ibi aderit faldistorium et abacus.

2 — In litaniis adduntur bis nomina titularium altarium et martyrum quorum reliquia sunt sepelienda. D 3729, VI.

3 — Episcopus addat nomina titularium cum dicit *Ut altaria haec* etc. Caeremoniarium magister invocationes hujusmodi episcopo praebet in chartula scriptas.

4 — Episcopus ritus qui facit in uno altari, facit in omnibus. Sic, postquam fecit unctiones aquae gregorianae in 1mo. altari, facit in 2do. et ita porro; deinde ad 1mum. altare redit et recitat orationem *Singulare illud*.

❯ Antiphona *Introibo* repetitur post singulos vel binos versus, ne sine cantu prosequatur functio.

5 — Facta 1ma. aspersione 1mi. altaris, procedit praeses ad 1mam. aspersionem aliorum altarium. Postea coram 1mo. altari iterum incipit *Asperges me*, et procedit ad 2am. aspersionem altarium, eodem ordine quo prius; et ita usque ad 7am. aspersionem.

6 — Reliquiarum processio coram singulis altaribus consistit; pontifex super mensam prope unumquodque ponit reliquias illius altaris.

7 — Statio fit ante altare principale usque ad orationem *Deus qui in omni loco* inclusive.

8 — Procedit pontifex ad unctionem 1mi. sepulcri et ad reliquiarum sepulturam et incensationem, non secus ac si unum tantum altare consecraretur. Cantores cantabunt antiphonas usque ad *Gloria Patri* exclusive.

9 — Ritus numeri praecedentis repetitur adamussim cum omnibus antiphonis pro 2do. altari et deinde quoad alia. D 3613, II, 2.

10 — Finita sepultura reliquiarum ultimi altaris, cantatur *Gloria Patri* et recedunt clerici cum candelis seu intortitiis; clerici de credentia, vel, si ipsi in sacris constituti non sint, caeremoniarii abstergunt sepulcra desuper.

11 — Pontifex ante 1mum. altare cantat orationem *Deus qui ex omnium*; procedit deinde ad unctionem sepulcri et mensae 1mi. altaris, et postea ceterorum (101).

12 — Deinde episcopus incensat super quinque cruces 1mi. altaris et postea ceterorum.

13 — Inchoato responsorio *Dirigatur*, pontifex incensat altaria omnia per circuitum semel; reversus iterum ante 1mum. altare, denuo incipit responsorium et incensat altaria omnia per circuitum, quod et tertio facit, tertio incipiens responsorium.

14 — Postquam fecit unctiones quinque 1mi. altaris, procedit ad 2um. ubi facit unctiones easdem, et ita quoad cetera.

❯ Antiphona *Erexit Jacob* repetitur post singulos vel binos versus prout necesse sit.

15 — Finitis unctionibus ultimi altaris, pontifex procedit ad 1mum., et, inchoato responsorio *Dirigatur*, incensat altaria omnia semel per circuitum.

16 — Pro 2da. unctione cum oleo et pro chrismatione cum incensationibus proceditur ut in numeris praecedentibus, 15 et 16.

› Antiphonae *Mane surgens* et *Unxit te Deus* repetuntur post singulos vel binos versus prout expedire videatur.

17 — Finita unctione totali mensae 1mi. altaris, proceditur ad alia, quae eodem modo unguntur. Finita unctione ultimi altaris, episcopus ad 1mum. altare redit pro orationibus postremis.

› Antiphona *Sanctificavit Dominus* repetitur post singulos vel binos versus si necesse sit.

18 — Presbyter thuriferarius unus erit qui circuit altaria, per modum unius ea incensanda. D 3729, X.

19 — Post unctiones ad parietes, altaria omnia incensanda erunt, si una cum ecclesia consecrantur. Pontifex pro unoquoque incipit antiphonam *Aedificavit Moyses,* a schola complendam. D 3729, VII (102).

20 — Episcopus una simul benedicit incensum super altaria comburendum, et super 1mum. altare ponit cruces cum incenso, dum ministri idem faciunt ad cetera altaria; postea flectit genua ante faldistorium pro versu *Veni, Sancte Spiritus,* et alia fiunt de more (103).

21 — Postquam unxit frontem 1mi. altaris, episcopus procedit ad alia, et unum post aliud ungit in fronte; redit ad 1mum. altare, ubi, finito psalmo, dicit collectam *Majestatem tuam.*

22 — Facit deinde pontifex unctiones angulorum 1mi. altaris; procedit ad alia et facit similiter; reversus ad 1mum. altare, canit collectam *Supplices te deprecamur.*

23 — Altaria omnia vestiuntur more solito.

24 — Pro finali incensatione procedit episcopus ad 1um altare, ubi intonat antiphonam *Omnis terra* et altare incensat; quod secundo et tertio facit, repetens antiphonam; pergit ad 2um. altare, et postea ad cetera, et omnia ter incensat, ter repetendo antiphonam *Omnis terra.*

› Meminerit praesul facere cruci altarium reverentiam antequam ascendat et discedat post eorum vestitionem.

25 — Revertitur praesul ad 1mum. altare ubi dicit collectas finales.

26 — Missa celebrabitur ad altare principale seu ad unum tantum.

CAPUT II

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE QUANDO ALTARIA MINORA SIMUL AB ALIIS PRAELATIS CONSECRANTUR

100 › Melius erit consecrationem altarium lateralium fieri ante vel post consecrationem ecclesiae; nam, stricte loquendo, in ecclesia unum tantum habetur altare, sicut unum est Sacrificium; altaria lateralia sunt res secundariae relate ad altare principale, ita enim declaravit SRC die 19 Set. 1665; praeterea PR de simultanea consecratione ecclesiae et altarium ab aliis praelatis facienda tacet; Martinucci hac de re silet, nec adest aliqua declaratio SRC, praeter permissum. Cum tamen invaluit usus, sequentes damus regulas quae, omnibus perpensis, servari debent ut caeremoniae hujusmodi fiant maximo cum ordine et juxta principia liturgica (104). Vide notam 113.

101 ART. I — CLERUS INSERVIENS

Pro consecratione ecclesiae et arae maioris iidem inserviunt ministri ac pro ecclesiae consecratione.

PRO UNOQUOQUE ALTARI ADERUNT:

Pontifex seu abbas consecrator.
Capellani assistentes duo.
Caeremoniarum magister.
Presbyter thuriferarius.
Clerici decem, videlicet:

Tres pro cruce et intortitiis (105).
Duo pro mitra et libro.
Duo ad abacum.
Unus pro thuribulo et aqua gregoriana.
Duo pro psalmorum recitatione.

102 ART. II — REGULAE SERVANDAE

1 — Consecratio ecclesiae et arae principis fit ab eodem pontifice solemniter cum cantu.

2 — Consecratio altarium lateralium fit a tot episcopis, seu abbatibus facultatem apostolicam habentibus, quot sunt altaria consecranda, sine

cantu tamen; nam consecratores altarium sunt minus principales relate ad consecratorem ecclesiae, qui praeest functioni.

3 — Consecratores altarium utuntur amictu; alba cum cingulo; stola et pluviali; mitra simplici alba; non utuntur baculo nec adhibent candelam.

4 — Consecratoribus altarium inserviunt assistentes duo cum superpelliceis (exclusis vestibus choralibus), qui loca tenent sacrorum ministrorum, et omnia faciunt ut in consecratione solemni altaris: 1us. facit quae fiunt a diacono; 2us. quae ad subdiaconum spectant; quando sedet episcopus, tamen ipsi stant utrimque.

5 — Consecratores altarium omnia recitabunt submissa sed intelligibili voce ne fiat confusio, et clerici duo prope unumquodque altare eadem voce recitabunt quae ad cantores pertinent.

6 — Incepta consecratione sui altaris, consecrator minime attendat ad ea quae a consecratore ecclesiae vel ab aliis consecratoribus fiunt, sed unice curet de suo altari consecrando; attamen antequam accendantur candelae ad incensum super altare cremandum, consecratores altarium exspectabunt quousque accendentur candelae altaris maioris, ut una simul incensum super altaria omnia cremetur.

103 ART. III — DE PRAEPARANDIS

Pro consecratione ecclesiae et arae maioris parentur quae in titulo II, capite II (nn. 51-54), notantur.

Pro consecratione altarium parentur seorsim pro unoquoque ea omnia quae praescripta sunt pro consecratione altaris in titulo II, capite III (nn. 79-81). Notatur tamen:

Super mensa oblonga in aula reliquiarum vel in alia prope:

PRO UNOQUOQUE EPISCOPO:

Amictus; alba cum cingulo; stola et pluviale, si fieri possit aequalia; mitra simplex alba.

RELIQUIAE parentur de more et super unamquamque capsulam ponatur chartula cum nomine altaris in quo erit sepelienda. Capsulae omnes exponentur simul super altare reliquiarum.

AD ALTARIA CONSECRANDA pro unoquoque:

Scabellum unum.

Velum unum pro mitrifero.

Vasculum aquae gregorianae vacuum.

Alia omnia ut in titulo III, capite II, art. II (n. 80), demptis tamen: baculo; candela et formula indulgentiarum; sal, cineres et vinum pro aqua gregoriana.

104 ART. IV — RITUS SERVANDUS

1 — Ab initio usque ad processionem omnia fiunt solito more, ut in titulo II habetur, a solo consecratore ecclesiae.

2 — In litaniis intra ecclesiam addentur bis nomina omnium sanctorum martyrum quorum reliquiae erunt sepeliendae et titularium principalium omnium altarium, servato ordine hierarchico.

3 — Consecrator ecclesiae dicit *Ut ecclesiam et altaria haec ad nomina SS.* (addat nomina titularium altarium) ...*benedicere* etc. Caeremoniarium magistri erit praesentare pontifici schidam cum invocatione et titularium nominibus.

4 — Circa initium abecedarii magister caeremoniarum, cui cura erit praelatorum, eos invitabit ad sacras capiendas vestes ad mensam paratam, adjuvantibus suis capellanis; postea, mitram in capite tenentes, accedunt ad sedes pro ipsis paratas, juxta ordinem praecedentiae, in reliquiarum aulam, capellanis stantibus retro post ipsos, ubi exspectabunt processionis adventum.

5 — A vestitione usque ad initium consecrationis altarium, consecratores unum efficiunt corpus; proinde: unum habebunt caeremoniarium; mitram ponunt et auferunt simul ipsi sibi; sedent, surgunt etc., una cum consecratore ecclesiae.

6 — Consecrator benedicit satis aquam gregorianam pro omnibus altaribus, et, cum egressa fuerit processio ab ecclesia ad reliquiarum aulam, sacristae implebunt vascula apud altaria consecranda aqua gregoriana modo benedicta.

7 — In processione consecratores ibunt post clerum, sed ante feretrum, unus post alium, cum suis capellanis extremitates pluvialis tenen-

tibus, tecto capite, nam consecratores altarium intersunt processioni et consecrator ecclesiae praeest.

8 — Clerici qui inservire debent altarium consecrationi in processione ibunt cum clero inservienti, vel quisque ad suum altare consistit.

9 — Ad stationem ante januam ecclesiae praelati faciunt circulum, capellani vero retro post ipsos stabunt.

10 — Processio, ecclesiam ingressa, ibit per omnia altaria. Cum feretrum pervenerit ante 1mum. altare processio consistit, et presbyteri feretrum deponunt. Clerici illius altaris ibidem consistunt, nisi jam adsint. Caeremoniarius altaris 1mi. invitat consecratorem ad altare suum, ubi a 1.° assistente ei aufertur mitra; a suo caeremoniario accipit lancem et appropinquabit feretro; caeremoniarius ponit reliquias illius altaris in lance et velo serico rubro cooperit; consecrator pergit ad mensam in cornu evangelii, et lancem cum reliquiis in medio candelarum locat.

11 — Presbyteri elevant feretrum et prosequitur processio usque ad altare 2um. et postea ad cetera. Coram unoquoque altari proceditur ut in numero praecedente.

12 — Ultimo loco ibit processio ad altare majus ubi omnia fiunt ut in titulo II.

13 — Cantores dent operam ut cantus antiphonae *Gaudent in caelis* desinat paulo antequam processio perveniat ad altare majus.

14 — Cum processio pervenerit ad altare majus, ceroferarii altarium lateralium accendunt intortitia, crucifer accipit crucem et se sistit medius inter ceroferarios usque ad consecrationis finem.

15 — Praelati incipiunt consecrationem suorum altarium ab antiphona *Introibo,* et usque ad finem omnia faciunt ut in titulo III, praeter ea quae sequuntur (106).

16 — Cemento benedicto cum oratione *Summe Deus,* consecratores immediate procedunt ad unctionem sepulcri et ad reliquiarum sepulturam, omissis quae ad processionem se referunt, nam processio jam facta est.

17 — Consecratores benedicunt mappas suorum altarium quae immediate super ipsa ponuntur.

18 — Finita consecratione extinguuntur intorticia et crucifer crucem deponit. Consecratores benedictionem non dabunt nec publicabunt indulgentias, sed, dicto *Benedicamus Domino* et responso *Deo gratias,* cum suis assistentibus et toto suo clero, pergunt ad sacrarium ubi sacras vestes deponunt et induunt chorales; vel si missa a legato seu metropolita celebretur, illas retinent pro chorali assistentia.

19 — Missa solemni ritu celebrabitur ad altare majus; sub unica conclusione cum oratione principali, addetur oratio titularis ecclesiae, omissis orationibus titularium altarium lateralium.

❯ Non est necesse ut consecratores Missas celebrent apud altaria omnia consecrata, sufficit Missa solemnis ad aram majorem (D. 3687, IV); immo non solum sufficit, sed minime convenit ut dum sacrum solemni ritu celebratur ad aram principalem, in altaribus lateralibus Missae lectae una simul habeantur (107).

CAPUT III

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE INSIGNIS SEU MAGNAE MOLIS

ART. I — PRAENOTANDA

105 A — DE CARDINALI LEGATO

1 — Quando ecclesia insignis, titulis extraordinariis ornata, ratione magnitudinis et alia hujusmodi consecranda venit, decet Summum Pontificem de re certiorem facere, ut ipse per legatum a latere suo missum, dedicationibus solemnibus intersit. Cft. Benedictus XIV *Iam inde* § 25, Bullarium. tom. III, pars 2.ª pg. 357.

2 — Pridie consecrationem fit solemnis receptio legati. Vide tomum III, n. *180.*

3 — Quamvis legatus adsit, necessarium non est ut ipse per se consecrationem faciat; sufficit ut solemnitatibus intersit, et praesertim ut, post consecrationem, solemniter Missam celebret; standum tamen in singulis casibus eis quae in apostolicis litteris determinantur (108).

4 — Legatus indulgentiam plenarium concedit et populo solemniter, nomine Summi Pontificis, in fine Missae benedicit.

5 — Si alii intersint cardinales seu episcopi, poterunt ecclesiam ingredi una cum reliquiarum processione; sed melius erit si processionaliter intrent pro missa solemni post consecrationem tantum.

106 B — DE EPISCOPIS COADJUTORIBUS

1 — Juxta Benedictum XIV licet, de permissu Sanctae Sedis, adhibere episcopos coadjutores seu comministros in consecratione magnarum ecclesiarum, et permissum aliquando datur (109).

2 — Desunt rubricae circa ritus servandos, et declarationes Congregationis Ritibus Sacris praepositae desiderantur. Inspectis tamen principiis liturgicis generalibus, habita praesertim paritate cum iis quae praescripta sunt pro consecratoribus episcoporum, sequens datur ritus hisce in casibus servandus, ut omnia fiant cum ordine, juxta doctrinam Benedicti XIV, cl. m. (110).

3 — Ne consecratio ecclesiae magnae morosa evadat, et ut ritus maiori cum ordine fiant, non unus sed duo coadjutores adhibeantur, ut in consecratione episcoporum vel abbatum benedictione a PR praecipitur (111).

4 — Episcopi et non abbates, ut notat Benedictus XIV, ad tale munus vocentur (112); non sint praelati jurisdictionem in loco habentes (nisi consecrator sit legatus papalis); nam coadjutores non sunt aequi principales sed minus principales, relate ad consecratorem ecclesiae.

5 — Si duo adsint altaria minora consecranda, 1us. coadjutor unum consecret, 2us. coadjutor alterum, prout infra in art. VI habetur.

6 — Si altaria plurima consecranda veniunt eodem die, aderunt pro ipsis tot consecratores quot altaria, et serventur ea quae in capite II huius tituli habentur, coadjutores vero altaria non consecrant (113).

107 ART. II — CLERUS INSERVIENS

ADERUNT: Capellani duo cum superpelliceis et minister de mitra pro unoquoque coadjutore. Magistri caeremoniarum quatuor: 1mus. erit consecratoris et omnia facit quae in titulo 2.° habentur; 2.° cura erit de 1.° coadjutore; 3.° cura erit de 2.° coadjutore; 4us. ea omnia facit quae in titulo II de 2do. caeremoniario dicta sunt. Clerici thuriferarii duo. Ceteri ministri aderunt prout de ecclesiae consecratione dictum est.

108 ART. III — REGULAE SERVANDAE

1 — Coadjutores utuntur amictu, alba cum cum cingulo, stola et pluviali; pluvialia sint aequalia et minus ornata quam pluviale consecratoris; mitra erit alba simplex. Non utuntur baculo nec candela; eis tamen dabitur baculus ad scribenda alphabeta et ad januam consignandam.

2 — Coadjutores habent assistentiam duorum capellanorum cum superpelliceis, quorum 1us. mitram ei imponit vel aufert.

4 — Coadjutores sedent et flectunt genua ad scabella; consecrator tantum utitur faldistorio, omnes tamen utuntur pulvinaribus ad genua flectenda.

5 — Consecrator praeest toti functioni; proinde canit collectas, invocationes, et praefationes; solus recitat invocationes in litaniis; cantat intonationes, et consecrat aram maiorem.

6 — Tempore litaniarum, orationum etc., coadjutores stabunt, sedent vel flectunt genua, 1us. a dextris diaconi, 2us. a sinistris subdiaconi spatio tamen congruente, cum suis assistentibus utrimque.

7 — Poterit consecrator sedere ad faldistorium cum suis ministris dum coadjutores aquas benedicunt, aspersiones ecclesiae exsequuntur, alphabeta scribunt, vel inungunt parietes.

109 ART. IV — DE PRAEPARANDIS

Praeparentur omnia quae in titulo II, capite II, praescripta sunt pro consecratione ecclesiae, praeterea aderunt:

Scalae ad cruces inungendas duae.

Scabella quatuor pro coadjutoribus: duo in aula reliquiarum; duo extra portam principalem, postea in media ecclesia transferenda, deinde in presbyterio locanda.

Pulvinaria duo pro coadjutoribus.

Vascula cum sancto chrismate duo.

Thuribula duo.

IN AULA RELIQUIARUM pro unoquoque coadjutore:

Amictus; alba cum cingulo; stola et pluviale; mitra alba cum velo mitriferi.

110 ART. V — RITUS SERVANDUS

1 — In initio functionis, coadjutores exspectabunt consecratorem in aula reliquiarum, et una cum eo sacras assumunt vestes.

2 — In processione ad ecclesiam coadjutores ibunt immediate ante consecratorem, cum suis capellanis, oras pluvialis tenentibus: 2us. ibit ante 1mum.

3 — Consecrator (per suum caeremoniarium) coadjutorem 2um. ad aquam lustralem benedicendam invitabit; ipse tamen aspergit clerum, postquam dedit coadjutoribus aspersorium tangendum.

4 — 2us. coadjutor facit 1mam. aspersionem externam ecclesiae; coadjutor 1us. facit 2am.; consecrator facit 3am.; crux cum intorticiis ibit ante praelatum ecclesiam aspergentem, licet sit coadjutor.

5 — Consecrator januam percutit in fine uniuscujusque aspersionis et dialogum recitat.

6 — Ad litanias coadjutores mitram retinent, sed consecrator solus ad benedictiones recitandas assurgit.

7 — Coadjutor 1us. scribit alphabetum eodem tempore quo 2us. scribit abecedarium; vel consecrator, si maluerit, scribat ipse alphabetum et abecedarium, vel alphabetum tantum et 1us. coadjutor abecedarium.

8 — Consecrator solus ter canit *Deus in adjutorium.*

9 — Consecrator (per suum caeremoniarium) invitabit 1mum. coadjutorem ad aquam gregorianam benedicendam; qui etiam recitabit invocationem *Sanctificare* usque ad finem et signabit januam baculo.

10 — Pro aspersionibus internis ecclesiae per circuitum proceditur ut in n. 4, videlicet, 2dus. coadjutor facit 1mam. aspersionem; 1mus. coadjutor facit 2am. aspersionem; consecrator facit ultimam; crux cum intorticiis praeibit ante pontificem aspersionem exsequentem.

11 — Aspersionem pavimenti facit coadjutor 1mus. vel consecrator, si maluerit, qui sibi reservat tamen aspersionem ad quatuor ventos.

12 — Ad introitum processionis, coadjutor 1mus. ungit postem dexterum (ad sinistram intrantis) et coadjutor 2us. postem sinistrum (ad dexteram intrantis).

13 — Ante unctionem parietum consecrator benedicit incensum, quod in duobus thuribulis ponit cum benedictione.

14 — Consecrator ungit 1am. et postremam crucem prope altare; 1us. coadjutor incipit a 2.ª cruce prope altare et quinque ungit cruces, easque incensat; 2us. coadjutor incipit a septima cruce quae est prope januam a latere dextero intrantis, et quinque ungit cruces, easque incensat (114).

15 — Post unctionem parietum coadjutores secedunt ad scabella in presbyterio, nam ritus qui sequuntur a solo consecratore fiunt, quum pertineant ad consecrationem altaris.

❫ Si ecclesia sit grandis nimis, dividi poterit in partes duas pro aspersionibus ad extra et ad intus: coadjutor 1mus. facit aspersionem partis dexterae ecclesiae, et coadjutor 2us. partis sinistrae, una simul, tribus vicibus; crux cum intortitiis ibit ante coadjutorem 1mum.

111 ART. VI — CONSECRATIO ALTARIUM LATERALIUM A COADJUTORIBUS

1 — Unicuique coadjutori inserviunt, praeter duos assistentes et caeremoniarium, clerici tres: unus pro aqua gregoriana et sacris oleis, alter pro thuribulo, tertius pro mitra.

2 — Ad unumquodque altare aderunt quae pro ejus consecratione sunt necessaria ut in cap. I, art. II huius tituli habentur (n. *98*); aderunt etiam pro unoquoque altari quae necessaria sunt pro aspersionibus, unctionibus seu incensationibus, manuum lotione; aderitque scabellum unum in usum coadjutoris.

3 — Consecrator ipse solus intonat antiphonam *Introibo;* et, dum psalmus cantatur, ungit altare maius cum aqua gregoriana, et coadjutores idem faciunt ad altaria sua.

4 — Intonata antiphona *Asperges me,* consecrator aspergit altare maius, dum coadjutores aspergunt altaria sua.

5 — In reliquiarum processione omnes pergunt directe ad altare maius ubi fit statio; deinde coadjutores accipiunt reliquias suorum altarium et ad ea se conferunt. In reliquiarum sepultura solus consecrator antiphonas intonat et preces recitat, sed coadjutores sepulcra ungunt de more, et reliquias sepeliunt.

6 — In unctionibus seu incensationibus altarium coadjutores procedunt prout supra de aspersionibus dictum est, videlicet, intonata respectiva antiphona a consecratore, dum schola cantat quod cantandum

est, coadjutores altaria sua incensant et ungunt concomitanter cum consecratore ad aram maiorem.

7 — Post unctionem parietum, ad antiphonam *Aedificavit Moyses*, altare maius tantum incensatur.

8 — Consecrator benedicit incensum super altaria tria cremandum, et unusquisque coadjutor ad suum altare accedit et incensum propria manu super quinque cruces ponit; deinde coram suo altari genuflectit ad versum *Veni, Sancte Spiritus.*

9 — Coadjutores, extinctis altaris candelis et combusto incenso, ad consecratorem revertuntur, et se sistunt utrimque ad praefationis cantum; ad altaria sua redeunt pro frontis unctione; sedent ad scabella dum cantatur ps. 67, et lavant manus cum idem facit consecrator.

10 — Coadjutores ungunt conjunctiones mensae et stipitis, deinde ad consecratorem accedunt, qui solus mappas altarium benedicit.

11 — Versus finem ps. 62, coadjutores ad altaria sua accedunt et mensam incensant, dum consecrator incensat aram maiorem, deinde ad eum revertuntur, et cum eo ad sacrarium exeunt.

CAPUT IV

DE CONSECRATIONE LECTA ECCLESIAE VEL ALTARIUM

112 ART. I — CONSECRATIO LECTA ECCLESIAE

› Juxta rubricas PR consecratio ecclesiae fieri debet solemniter, cum cantu videlicet et sacris ministris, est enim ritus natura sua solemnis; tamen, saltem gravi de causa, ut in locis missionum vel tempore persecutionum, poterit fieri privatim sine cantu. Fas tamen non est aliquas partes cantare et alias recitare ad uniuscujusque arbitrium.

In consecratione lecta omnia fiunt ut in titulo II, notetur tamen:

1 — Partes scholae recitantur alternatim a duobus vel a quatuor clericis; duo ex ipsis, flexis genibus retro post episcopum, recitabunt litanias sine cantu.

2 — Episcopus, quae cantare deberet si consecratio esset solemnis, recitat voce clara seu elata.

3 — Episcopus utitur alba et vestibus sacris ut in consecratione solemni, eique inserviunt capellani assistentes duo cum superpelliceis, exclusis vestibus choralibus. Omnia quae ad diaconum spectant fiunt a 2.° assistente; ipsi vero non sedent, nec caput cooperiunt, sed semper stant quando sedet consecrator. Capellanus 1us. mitram episcopo imponit et aufert.

4 — Episcopus ipse in processione reliquias portabit in lance, velo rubro coopertas, ut in consecratione altaris sine ecclesia.

5 — Si consecrator missam lectam celebret, ab usu mitrae abstinebit cum officium non sit amplius pontificale.

113 ART. II — CONSECRATIO LECTA ALTARIUM

› Juxta rubricas PR consecratio altarium fieri potest vel solemniter cum cantu ut in titulo III describitur, vel privatim sine cantu. Consecratio altarium tamen est ritus solemnis, solemniter proinde faciendus, sed rationabili de causa licet altare sine cantu consecrare.

In consecratione lecta altarium omnia fiunt ut in titulo III, praeterquam ea quae supra de consecratione lecta ecclesiae habentur.

CAPUT V

DE CONSECRATIONE ALTARIS CUJUS SEPULCRUM CONSTRUITUR IN MEDIETATE STIPITIS

114 › Si reliquiae sint insignes, id est, partes notabiles corporis, sepeliuntur in stipite et mensa altaris cooperiuntur.

Reliquiae conduntur in arca plumbea cum tribus granis incensi et instrumentis authenticis; arca clauditur a stannario cum sigillo magno episcopi. Super arcam scribuntur nomina sanctorum martyrum et alia memoria digna. Arca ponitur super altari vel super aliquo thalamo ad hoc praeparato.

Consecratio fit ritu consueto, cum modificationibus tamen quae sequuntur.

115 ART. I — SINE ECCLESIA

1 — Mensa altaris paratur super duobus sustentaculis retro post altare, ita ut possit facile fieri unctio in parte inferiori, et prompte suo loco coaptari.

2 — Cementum benedicitur sufficiens ad totam mensam firmandam, pro qua opus erit auxilii cementariorum.

3 — Post benedictionem aquae gregorianae (usque ad invocationem *Sanctificare* exclusive), benedicitur cementum cum oratione *Summe Deus.*

4 — Fit processio reliquiarum more solito.

5 — Episcopus ungit quatuor angulos sepulcri intus; in eo ponit reliquias; eas incensat; deinde ungit lapidem seu mensam in media parte inferiori, sed loco *haec tabula* dicit *hic lapis.*

6 — Episcopus facit maltham cum aqua gregoriana, quam spargere incipit super stipitem, et ad planum presbyterii redit.

7 — Sacerdotes quatuor, qui reliquias portaverunt, adjuvantibus cementariis, ponunt mensam seu lapidem super stipitem; interim schola canit responsorium *Vos, sacerdotes et levitae.* Dum cementarii firmunt mensam, pontifex sedet ad faldistorium, cum suis ministris ad scabella; sacerdotes qui reliquias portaverunt ad sacrarium exeunt.

8 — Firmata et mundata lapide, exeunt cementarii; assurgit pontifex, ad altare accedit, et incipit antiphonam *Sub altare Dei (audivi)*. Schola antiphonam complebit et adjungit aliam *Corpora Sanctorum,* et canit *Gloria Patri* et *Sicut erat,* ad quod omnes caput cruci hastatae inclinant. Deinde episcopus, deposita mitra, canit collectam *Deus, qui ex omnium cohabitatione.*

9 — Deinde cum mitra ascendit ad altare et, cum sancto chrismate, facit unctionem duplicem in parte anteriori mensae et stipitis simul, dicens *Signetur et sanctificetur.*

10 — Posito et benedicto incenso, episcopus altare incensat, dum schola canit antiphonam *Stetit angelus,* quam incipit ipse. Postea, ante gradus altaris, nudato capite, canit collectam *Dirigatur oratio nostra.*

11 — Episcopus facit unctionem mensae cum aqua gregoriana et aspersiones altaris, incipiens ab antiphona *Introibo* usque ad collectam *Deus qui es visibilium rerum* inclusive.

12 — Postea procedit praelatus ad consecrationem altaris ut in tit. III, cap. IV, art. V (n. *88*), et omnia fiunt prout ibi jacent usque ad finem consecrationis (115).

116 ART. II — CUM ECCLESIA

Nn. 1, 2 et 3 ut supra.

4 — Omnia fiunt more solito usque ad orationem *Deum Patrem Omnipotentem* (ante antiphonam *Introibo*).

5 — Dicta oratione supra, pontifex, aliis praetermissis, procedit ad aspersionem ecclesiae inde ab antiphona *Haec est Domus Domini,* et alia omnia facit usque ad collectam *Deus qui in omni loco* inclusive in fine processionis.

6 — Deinde episcopus facit unctiones sepulcri et alia omnia usque ad finem consecrationis altaris sicut in articulo I, nn. 5 ad 12.

7 — Finita consecratione altaris, procedit episcopus ad consecrationem parietum inde ab antiphona *Ecce odor,* et alia fiunt solito more usque ad finem.

CAPUT VI

DE CONSECRATIONE ALTARIS CUM SEPULCRO IN PARTE ANTERIORI STIPITIS

117 Juxta rubricas PR sepulcrum aliquando construi potest in parte anteriori (vel etiam posteriori) stipitis. Necessaria est haec constructio quando reliquiae non sunt ita parvae ut possint poni in ipsa mensa altaris, nec insignes ut necesse sit eas in medio stipite sepelire.

Quoad arcam plumbeam serventur ea quae in capite V habentur. In consecratione proceditur ut in titulo II vel III. Cum facit unctionem super sepulcrum clausum, episcopus una simul ungit tabulam sepulcri et frontem altaris dicens *Signetur et sanctificetur* more solito. Si adsit alia crux in fronte super ipsam facit pontifex unctionem frontis, sin autem in parte superiori frontis faciat unctionem (116).

TITULUS V

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

CAPUT I

118 DE DEFECTIBUS TEMPORE CONSECRATIONIS ECCLESIAE VEL ALTARIS OCCURRENTIBUS

1 — Si, dum consecratur ecclesia, episcopus infirmetur, nec possit consecrationem perficere, notetur :

a) Si consecratae fuerunt cruces duodecim, alius episcopus, vel etiam abbas qui gaudet privilegio consecrandi altaria immobilia, vocetur ad functionem perficiendam, nam ritus qui sequuntur pertinent ad complementum consecrationis altaris.

b) Si functio interrumpitur ante unctiones altaris et adsit alius episcopus, ad perficiendam functionem vocetur, nam ritus qui unctiones mensae praecedunt sunt potius praeparatorii consecrationis.

c) Si unctio altaris incepta fuit et adsit alius episcopus, debet ipse altaris consecrationem ab unctionibus cum oleo puerorum reassumere, nam partes essentiales consecrationis altaris debent ab eodem ministro fieri.

2 — Quae omnia dicta sunt si alius praelatus adsit, ita ut interruptionem inter et reassumptionem ritus detur nexus moralis. Si vero interruptio fuit morosa, vg. per spatium duorum dierum, tota consecratio erit iteranda (117).

3 — Si ritus aliquis omissus fuit, immediate suppleri debet, nam error corrigitur ubi deprehenditur.

4 — Si episcopus usus est oleo puerorum vel infirmorum loco sancti chrismatis, consecratio est nulla et proinde iteranda; si error deprehendatur ante finem consecrationis, unctiones omnes erunt iterandae. Si

vero error deprehendatur finita consecratione, tota consecratio erit privatim iteranda.

5 — Si in unctionibus episcopus usus est formulis diversis ab illis quae praecripta sunt, consecratio est nulla, quia servata non fuit forma ab Ecclesia praescripta. CJC 1148, § 2.

6 — Declaravit SRC in consecratione altaris tum fixi tum portatilis unctionem in media tabula nunquam esse omittendam, quamvis crux ibidem sculpta non sit : si tamen unctio ista omissa fuit, valida est consecratio. D 3771. Unctiones omissae tamen erunt quantocius supplendae.

❫ Vide tom. III, sect. I, cc. 2 et 7.

CAPUT II

DE DEFECTIBUS POST ECCLESIAE VEL ALTARIS CONSECRATIONEM OCCURRENTIBUS

119 ❫ De ecclesiarum et altarium exsecratione et de iteranda consecratione, vide tit. I, cap. XII (nn. 37-39).

FORMULAE BREVES IN CONSECRATIONE ALTARIUM EXSECRATORUM ADHIBENDAE

120 A — FORMULA I

QUANDO MENSA A STIPITE FUERIT SEPARATA

(*etsi per temporis momentum*)

CJC 1200, § 1.

❫ Agitur de eadem mensa et stipite coaptandis. Mensa firmanda erit stipiti ab artificibus. Sepulcrum reliquiarum integer esto seu non violatum. Altare erit denudatum.

1 — Presbyter, a loci ordinario delegatus, induit superpelliceum et stolam albam, et functionem privatim peragit cum duobus clericis superpelliceis pariter indutis.

2 — Consecrator facit cum sancto chrismate quatuor unctiones pollice dexterae manus ad modum crucis in quatuor angulis in conjuntione mensae cum stipite, dicens singulis vicibus *In nomine Pa + tris, et*

Fi + *lii, et Spiritus* + *Sancti,* ter ungens unumquodque angulum. Vide n. *65, 9*.

3 — Deinde consecrator recitat orationes *Majestatem tuam* et *Supplices te deprecamur,* quae habentur in fine consecrationis altaris ante benedictionem tobalearum.

4 — Subinde consecrator declarat ac testatur legitimo instrumento praefatum altare a se ordinaria vel delegata auctoritate rite consecratum, uti tale habendum esse et sub eodem titulo, quo ante exsecrationem gaudebat.

121 B — FORMULA II

QUANDO SEPULCRUM TANTUM VIOLATUM FUERIT

CJC 1200 § 2, n. 2 (118).

Altare erit denudatum.

Super abaco parantur quae necessaria sunt ad aquam gregorianam faciendam, videlicet:

Sal in lance.
Aqua in vasculo.
Cineres in lance.
Vinum in ampulla.
Cementum.
Parvum cochlear.

1 — Presbyter a loci ordinario delegatus, superpelliceo et stola alba indutus, cum duobus clericis superpelliceis pariter indutis, pergit ad abacum ubi benedicit aquam gregorianam, incipiens absolute ab exorcismo salis, usque ad orationem *Omnipotens... Creator* inclusive, omittens verbum *Ecclesia* quoties invenitur.

2 — Deinde benedicit cementum cum oratione *Summe Deus,* praemisso *Dominus vobiscum,* et cum aqua gregoriana facit maltham. D 3976, I, II (119).

3 — Accedit consecrator ad altare et facit quatuor unctiones cum sancto chrismate in quatuor angulis internis sepulcri, adhibens formulam in consecratione altaris praescriptam.

4 — Deinde consecrator reliquias in sepulcro reverenter recondit; postea ungit tabulam subtus cum sancto chrismate, dicens formulam consuetam.

5 — Firmat sepulcrum coaptans tabulam cum cemento supra benedicto, advertens ut tabula aequaliter firmetur ad altitudinem mensae per totam; adhibebit auxilium cementarii si opus sit; postea sepulcrum linteo mundatur.

6 — Deinde consecrator dicit orationem *Deus qui ex omnium cohabitatione,* et cum chrismate facit unctionem duplicem super sepulcrum et mensam ut in consecratione altaris, adhibens formulam propriam.

7 — De peracta consecratione, quae privatim fieri debet, redigatur documentum ut in fine formulae primae.

122 C — FORMULAE DUAE SIMUL

Si altare e duplici capite violatum fuerit, nempe quia mensa a stipite separata fuit et sepulcrum violatum, firmata iterum mensa, immediate proceditur ad consecrationem sepulcri, adhibita formula brevi ut supra sub littera *B*.

Deinde consecrantur conjunctiones mensae et stipitis ut in littera *A*.

❯ Formulae breves legi possunt in appencide ad RR.

FORMULARIUM

PRO ECCLESIAE VEL ALTARIS

CONSECRATIONE

PERGAMENA PRO CAPSULA RELIQUIARUM

Ano Domini MCM...
die..... mensis.........
Ego . . ..
Episcopus . . ..
consecravi (ecclesiam et)
altare hoc, in honorem
sanct ....
et reliquias sanctorum
martyrum.............
in eo inclusi, et singulis
Christifidelibus hodie
unum annum, et in die
anniversario consecrationis
hujusmodi ipsam (vel ipsum)
visitantibus centum
dies de vera indulgentia in
forma Ecclesiae consueta concessi.

❯ In consecratione altaris solius omittuntur verba *Ecclesiam et.* Si celebrans sit archiepiscopus dicitur *ducentos dies,* si vero sit SRE cardinalis *trecentos dies.*

N.º 1 DIALOGUS AD JANUAM

POST PRIMAM ET POST SECUNDAM ASPERSIONEM

EPISCOPUS *recto tono*:

Attólite portas, principes, vestras, et elevámini, portae aeternáles, et introibit Rex glóriae.

DIACONUS *in tono interrogationis*:

Quis est iste Rex glóriae?

EPISCOPUS *recto tono*:

Dóminus fortis et potens; Dóminus potens in práelio.

POST TERTIAM ASPERSIONEM

EPISCOPUS *recto tono*:

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portae aeternáles, et introíbit Rex glóriae.

DIACONUS *in tono interrogationis*:

Quis est iste Rex glóriae?

EPISCOPUS SIMUL CUM CLERO *recto tono*:

Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.
Aperíte. Aperíte. Aperíte.

DIACONUS *aperit portas*.

EPISCOPUS *clara voce sine cantu signans pavimentum cum baculo*:

Ecce cru ✝ cis signum, fúgiant phantasmata cuncta.

Ecclesiam ingressus:

Pax huic dómui.

DIACONUS *clara voce sine cantu*:

In intróitu vestro.

MINISTRI *clara voce sine cantu* :

Amen.

› Postquam clerus ecclesiam introivit, clauso iterum ostio, discedit diaconus, officio suo expleto.

› Tabella haec duplici exemplari conficiatur; pro episcopo una, pro diacono custode altera.

N.° 2 TABELLA PRO BENEDICTIONE ALTARIS CUM AQUA GREGORIANA

› Dum episcopus facit unctiones quinque cum aqua gregoriana super quinque cruces mensae altaris dicit toties quoties cum unica unctione et triplici benedictione :

SANCTI + FICETUR HOC ALTARE IN HONOREM DEI OMNIPOTENTIS ET GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE, ATQUE OMNIUM SANCTORUM, ET AD NOMEN AC MEMORIAM N. *(titularis — ium)*. IN NOMINE PA + TRIS, ET FI + LII, ET SPIRITUS + SANCTI.

PAX TIBI

✠ 2		5 ✠
	✠ 1	
✠ 4		3 ✠

N.° 3 TABELLA PRO CONSECRATIONE SEPULCRI

› Dum episcopus facit unctiones internas sepulcri cum sancto chrismate in quatuor angulis, cum duplici unctione et triplici benedictione dicit ad singulas unctiones :

CONSE + CRETUR ET SANCTI + FICETUR HOC SEPULCRUM. IN NOMINE PA + TRIS, ET FI + LII, ET SPIRITUS + SANCTI.

PAX HUIC DOMUI

1	4
3	2

› Dum episcopus ungit tabulam sepulcri subtus cum sancto chrismate cum duplici unctione et triplici benedictione dicit semel :


CONSE + CRETUR ET SANCTI + FICETUR HAEC TABULA PER ISTAM UNCTIONEM ET DEI BENEDICTIONEM. IN NOMINE PA + TRIS, ET FI + LII, ET SPIRITUS + SANCTI.

PAX TIBI

› Clauso et firmato sepulcro, episcopus facit cum sancto chrismate unctionem duplicem cum trina benedictione super sepulcrum et mensam altaris dicens :

SIGNE + TUR ET SANCTI + FICETUR HOC ALTARE. IN NOMINE PA + TRIS, ET FI + LII, ET SPIRITUS + SANCTI.

PAX TIBI




N.° 4 TABELLA PRO CONSECRATIONE ALTARIS

› Dum episcopus facit unctiones quinque cum oleo catechumenorum super quinque cruces altaris dicit ad singulas unctiones, cum duplici unctione et triplici benedictione :


SANCTI + FICETUR ET CONSE + CRETUR LAPIS ISTE. IN NOMINE PA + TRIS, ET FI + LII, ET SPIRITUS + SANCTI, IN HONOREM DEI ET GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE ATQUE OMNIUM SANCTORUM, AD NOMEN ET MEMORIAM N. *(titularis — ium)*.

PAX TIBI

› Formula haec adhibitur pro secunda unctione altaris cum oleo catechumenorum et pro unctione cum sancto chrismate, eodem modo et eodem servato ordine.



› Episcopus inungit in modum crucis conjunctiones mensae et stipitis in quatuor angulis cum sancto chrismate, dicens toties quoties cum facit triplicem unctionem:


IN NOMINE PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI

› Formula haec adhibenda erit pro triplici unctione in forma crucis cum sancto chrismate ad ecclesiae postes, prius ad dexteram (exeuntis) deinde ad sinistram.

N.° 5 TABELLA PRO CONSECRATIONE ECCLESIAE

› Episcopus facit unctionem duplicem cum sancto chrismate, adjecta trina benedictione, ad cruces duodecim per parietes, dicens ad singulas unctiones:

SANCTI ✠ FICETUR ET CONSE ✠ CRETUR HOC TEMPLUM. IN NOMINE PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI, IN HONOREM DEI ET GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE, ATQUE OMNIUM SANCTORUM, AD NOMEN ET MEMORIAE N. (*titularis — ium*).

PAX TIBI


› Exemplar hujus tabellae, typis crassis impressum, appendendum erit subter unamquamque crucem.

N.° 6 TABELLA INTONATIONUM

AD USUM EPISCOPI IN CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS

A—Ab initio ad aspersiones internas inclusive





















B — In reliquiarum translatione et sepultura


















C — In consecratione altaris

















D — Ab unctione parietum ad finem














Musicae notae ex editione Desclée, n. 592, excerptae fuerunt.

Pro antiphonis *Adesto, Mane surgens Jacob, Unxit te Deus, Confirma hoc Deus,* et *Circumdate Levitae* inserviunt ministri libri et candelae cum jam sint coram episcopo; cum tamen musicae notae PR nec semper cum novissimis editionibus romanis cantus gregoriani concordent, expedit semper tabellam praelato exhibere.

N.° 7 TABELLA INDULGENTIARUM

POST CONSECRATIONEM ECCLESIAE VEL ALTARIS.

Excellentissimus ac reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N. ... Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus (Archiepiscopus) N. ... dat et concedit omnibus Christi fidelibus (ecclesiam hanc et) altare hoc visitantibus hodie unum annum et in die anniversario consecrationis hujusmodi centum (ducentos si archiepiscopus) dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta.

Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri N. ... divina providentia Papae N. ..., Dominationis suae excellentissimae et reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae.

› *Si consecrator sit SRE Cardinalis dicetur:* Eminentissimus ac reverendissimus in Christo Pater et Dominus N.... tituli S. N...., Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter (vel D. vel E.) Cardinalis N.... Dei et Apostolicae Sedis... trecentos dies... Dominationis suae eminentissimae et reverendissimae. ...

› *Si plura sint altaria consecranda dicitur:* ...unumquodque altare visitantibus.

› Formula haec legi potest etiam vulgari sermone.

NOTAE AD SECTIONEM II

(14) Non est proinde laudanda consuetudo magis in dies inducta celebrandi sacrum in publicis amphitheatris seu aulis, ad fines profanos aedificatis, quae summario modo in ecclesias convertuntur. Licet id aliquando, propter ecclesiarum augustiam, necessarium deveniat, tamen casus extraordinarii non sunt habitualiter introducendi, sicut passim etiam ante bellum mundiale videri erat. Consule hac de re Andream Andreucci S.J., *de uberiori fructu sacrificii in loco sacro dissertatio,* Hierarchia ecclesiastica, Romae 1766, tomus II, pg. 57.

(15) Vetere Ecclesiae jure fas non erat episcopo missam, saltem solemniter, celebrare, nisi in ecclesiis rite consecratis. Cum etiam hodierno jure tenetur episcopus solemniter in sua cathedrali sacrum facere, propterea debet consecrari. Vide Thomassin, *Nouvelle et Ancienne Discipline,* tome II, pg. 324.

(16) Cl. Many postquam dixit essentiam benedictionis ecclesiae consistere in aspersionibus ad extra et ad intus, concludit benedictionem, ratione effectuum, non differre specifice a consecratione. De Locis sacris, Parisiis 1904, pg. 45 et 48. Per aspersionem tamen, quae etiam in oratoriis fiunt, intendit Ecclesia locum purificare, ut in eo celebrari liceat missa, nam per simplicem aspersionem cum aqua lustrali locus non efficitur sacer, et hic habes differentiam specificam consecrationem inter et benedictionem. Per consecrationem locus segregatur ab usibus profanis, purificatur et Deo consecratur. Per benedictionem ecclesia aliquantulum purificatur et benedicitur, sed non definitive, nam debet postea consecrari. Benedictio ecclesiae est dedicatio ejusdem quodammodo provisoria, donec fiat consecratio, quam Ecclesia magis optat, ait Card. Gasparri. De Eucharistia, Parisiis 1897, vol. 1, n. 151.

(17) Si consecratio ecclesiae vel altaris fit ab abbate nullius rite benedicto, omnia fiunt ut in sequentibus titulis habetur. Si vero celebrans sit praelatus nullius tantum, movetur quaestio nova in jure, cum pontificalia, quae ipsis conceduntur, a jure non determinentur. Sed consecratio ecclesiae vel altaris, quae praelato conceditur, est ritus pontificalis, ex quo concluditur ipse debere consecrationem peragere ut episcopus, non excepto baculo, si agatur de consecratione ecclesiae, pro qua exigitur, licet usu baculi non gaudeat praeses. In praxi tamen casus rarissime occurrit, cum praelaturae nullius soleant habere praelatum episcopum titularem vel abbatem benedictum. In bullis creationis non nullarum praelaturarum recentium, conceditur praelato electo jus ad titulum episcopalem.

(18) Circa amplissimum privilegium, cujus magnitudo nobis perspecta est, ut verbis utamur Benedicti XIV, consecrandi ecclesias, aliquando abbatibus concessum,

consule epistolam 1am. ejusdem ad abbatem Campidonensem *Ex tuis.* Abbates Nullius Cassinenses hoc privilegium semper habuerunt, quod hodie ad omnes abbates nullius extensum est. Bullarium, tomus III, pars. 2.ª, pg. 445. CJC Fontes, vol. II, n. 393.

Vide Philip Hofmeister *Mitra und Stab der wirklichen Prälaten ohne bischöflichen Charakter,* Stuttgart, 1928, pg. 79.

(19) Olim controvertebatur utrum festum dedicationis esset necne festum Domini. Etiamnum dedicatio Basilicae Maioris B.M.V. est officium de Beata, et non de dedicatione. Cft suffragia ad decreta SRC, vol. 4, pg. 408, D 3881.

(20) Dedicatio ecclesiae, id est, dies dedicationis, est officium duplex I classis primarium cum octava, et si occurrat eodem die festum superioris gradus, dedicatio ipsa, id est, totus ritus dedicationis transferendus est; ratio est evidens: non licet juxta rubricas eodem die celebrare festa duo quae sibi invicem oppugnantur: si dedicatio fit in die in quo ejus officium et missa prohibentur, dedicatio celebrabitur sine officio, quod erit in primo die liberum transferendum.

Verum est juxta *additiones et variationes* rubricarum MR licere, si officium diei sit nobilior, celebrare missam de dedicatione ad instar votivae pro re gravi, vel de ea addere commemorationem in missa diei. Haec tamen rubricarum innovatio minime solvit difficultatem; nam si dies dedicationis revera est festum duplex I classis (id enim in dubium vocari nequit, nam per octavam celebrabitur), missa *Terribilis* dici nequit votiva. Quaestio tota solvitur per interpretationem verborum *quolibet die* canonis 1166 § 1; id est dummodo missa et officium eo die a nobiliori officio non impediantur, tametsi excludantur fere omnes dies sub praecepto servandi. Exoptare licet ut tandem aliquando rubricarum contradictio corrigatur, cum certum sit legislatorem sibi contradicere non velle.

Expositio nostra confirmatur maxima auctoritate cl. Callewaert, ait enim "ad vitandam collisionem melius est ut episcopi a consecrandis ecclesiis abstineant diebus solemnioribus". De Breviarii Romani liturgia, pg. 264. Hac de re optime more suo agit Piacenza, qui novas rubricas BR composuit, et concludit: "...hortandi sunt episcopi, ne seligant pro dedicanda aliqua ecclesia dies impeditos... sed nec festa eligenda sunt, quae licet minoris sint solemnitatis, quam festum dedicationis, nihilominus decet, ut in universali Ecclesia recolantur in sua die. Itaque in festis, v.g. Purificationis B.M.V., ac ss. Apostolorum... omnino convenit quod in eis non dedicetur ecclesia, ut festa ipsa non deturbentur, quominus sua die celebrari possint". Piacenza, *In tres tabellas occurrentiae et concurrentiae commentarium.* Romae 1912, pg. 65.

(21) De crucibus parietum observa:

1.° Rubricae PR inter res praeparandas dicunt *depingantur in parietibus ecclesiae duodecim cruces...* Ex quo concludunt aliqui licere tantum pingere cruces, vel apponi cruces metallicas, aliasve. Sed, uti jam dictum est, non solum unctiones fieri tantum possunt super lapidem, sed etiam cruces suis locis in perpetuum permanere debent ad honores quotannis recipiendas cum subter ipsis accenduntur candelae; sunt enim testimonium receptae consecrationis, et non carent mystico sensu.

2.° Licebit cruces matallicas vel ferreas adhibere, dummodo subtus hebeatur lapis naturalis ad unctionem recipiendam; in praxi tamen non sunt approbandae quia soliditatem petrae non praeseferunt.

3.° Ibidem dicit rubrica *tres pro quolibet ex quatuor parietibus.* In praxi haec rubricarum pars nunquam, nec Romae, observatur; necesse esset apponere crucem super januam principalem, et aliam ad posticam altaris partem. Usus receptus est optimus legis interpres in casu.

4.° Dicit etiam ibidem rubrica *ad caput cujuslibet crucis figatur unus clavus.* Etiam hic, usus receptus dicit subter vel ad pedes cujuslibet crucis; nam candelae ponuntur ad cruces illuminandas; crux non est basis in qua figitur clavus; quod quidem usu Romanae Ecclesiae tum antiquo tum hodierno confirmatur. In figuris Pontificalium annorum 1520 et 1572 clavus cum cereo ad pedem crucis depingitur. Vide Alcuin Club, *Pontifical Services,* vol. IV, pg. 39.

5.° Reprobandus est usus locandi cruces ad altitudinem quatuor vel quinque metrorum; nam cum talis locatio reddit eorum consecrationem vix possibilem, tum difficilis etiam devenit candelarum cura quoties accendi debent; praeterea cruces fidelium venerationi exponuntur, quod difficile est si sublimitus locentur.

6.° Laudabiliter ad unamquamque crucem apponatur nomen unius Apostoli. In Basilica ssmi. Cordis Jesu de *Montmartre* imago et nomen unius apostoli, mosaicis confecta, infra unamquamque crucem depinguntur.

(22) De crucibus introitus observa:

1.° Notetur altitudo duorum metrorum et non amplius, nec in magnis ecclesiis, nam episcopus debet eas extenso brachio ungere.

2.° SRC declaravit D 4240 posse consecrari ecclesias e concreto ut aiunt, dummodo introitus (gallice *montants*) sint ex lapide. Non solent tamen architecti ita facere januam in ecclesiis e concreto constructis, et petrae duae a lateribus infixae in praxi sufficiunt, sicut sufficiunt pro crucibus parietum, quae sunt principaliores relate ad cruces januae.

3.° Ait rubrica *Pontifex signat ostium ecclesiae,* nam ostium est locus introitus et non obstaculum quo ostium clauditur vel aperitur, quod alio loco poni potest. Sed vide notam 69.

(23) De altaribus eruditissimum simul et absolutissimum opus scripsit Joseph Braun, S.J.: Der christliche Altar, München 1924. 2 Bände. Ibi enim multa invenies utilissima etiam practice. Ait tamen (Band I, pg. 663): "Die drei auf den Altar bezüglichen Bitten, die in den letzten Teil (der Litanei) eingeschaltet sind, betet der Bischof stehend, indem er bei jeder mit seinem Stabe zugleich über Stipes und Mensa ein Kreuz macht". Consule praesertim quae dicit de ritu consecrationis et de sepulcro, sed opus per integrum legendum. De eo egimus in *Ephemeridibus liturgicis,* 1926, pg. 121.

(24) "In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet". CJC 1198 § 2. Proinde corrigenda est doctrina ante codicem tradita a Van

der Stappen, et post codicem a Bliley, de validitate et liceitate consecrationis altaris fixi, cujus mensa lapidea ad medium altare tantum se extendit. Van der Stappen, tomus III, pg. 33, figura 4. Bliley, Altars, Washington, 1927, pg. 62, fig. 5. Fatendum tamen etiam ante codicem talia altaria non fuisse juxta sensum Ecclesiae, sed potius legis illusionem.

(25) Altaria cum extremitatibus rotundis, ovalibus, vel cum pluribus angulis, super quos nequit quis decenter tobaleas vel antependium aptare, non possunt consecrari; sunt enim contra usum receptum a saeculis, in quo nihil innovandum. Dicimus rubricas PR illis obstare, ex eo quod supponunt quatuor *tantum* angulos, in quibus fiunt cruces et unctiones. Haec prae oculis tenenda sunt, nostris praesertim diebus, cum non desint architecti qui volunt altaria diversarum formarum construere, originalia et phantastica, posthabitis legibus liturgicis.

(26) Altare maius ecclesiae metropolitanae Westmonasteriensis constat unico lapide vulgo *granite*. Vide Dom Roulin, *Nos Eglises*, Paris, 1938, pg. 552.

(27) Die 5 octobris anno 1840 Gregorius XVI solemniter consecravit aram maiorem super limina Doctoris gentium; Cardinalis Gamberini incepit consecrationem omnia faciens usque ad aspersiones altaris inclusive. Deinde, omissis omnibus quae pertinent ad processionem et sepulturam reliquiarum, immediate incensavit quinque cruces altaris, et discessit. Summus Pontifex deinde ritum proprium consecrationis incepit ab incensatione altaris per circuitum, et usque ad finem complevit. Romae et alibi multae sunt basilicae antiquae super corpora apostolorum seu martyrum constructae. Moroni, vol. II, pg. 249. Reliquiarum sepultura est potius conditio praerequisita ad valorem consecrationis ex praecepto Ecclesiae, quam pars inseparabilis ritus, cum dentur casus in quibus potest separari. Ita etiam censebat sanctus Robertus cardinalis Bellarminus. Ep. lit. 1923, pg. 269. Apud Braun (*Der Altar*, vol. 1) videbis quomodo corpora martyrum iter fecerunt a subsolo ad stipitem, et deinde a stipite ad mensam, ascendendo semper. Stipes a Durando *titulus altaris* vocatur ex eo quod reliquiae titularis in eo sepeliebantur. Andrieu PR, tome III, pg. 471.

(28) SCFP olim prohibuit ne consecrarentur altaria in ecclesiis tantummodo benedictis. Collectanea, tom. I, pg. 64, n. 1148. Id tamen certe licet; sic licet altaria minora consecrare in ecclesia nondum consecrata et solum altare maius consecrare simul cum ecclesia. Omnino reprobatur tamen usus benedicendi solemniter ecclesiam uno die ritu RR, et consecrandi die sequenti altaria omnia ecclesiae, consecratione ejus omissa. Ita factum fuit, die 1 octobris 1940, in ecclesia cathedrali Dioecesis Toletanae in America. Si id licet, tunc totus ritus consecrationis ecclesiae e MR, BR, et PR tollatur, quasi inutilis et obsoletus.

(29) Solebant passim maiores ecclesias consecrare in festo titularis, ita enim in die dedicationis officium faciebant de titulari, praesertim quia vel corpus vel pars corporis titularis solebat in altari sepeliri. Sic in romano calendario, in die dedicationis Basilicae Apostolicae B.V. Mariae (5 Augusti), officium fit de Beata. Hodierno jure vero titulus et dedicatio sunt festa diversa. Ut aliqui detur nexus inter titulum et dedicationem laudabiliter in festo titularis accenduntur candelae consecrationis duodecim per parietes, id enim a jure saltem non prohibetur.

(30) Urbanus VIII Missam "Aeterni Patris" *prohibuit, rejecit omnino et damnavit* (DD 460, 4; 555). Nequit proinde Prima Persona in titularem eligi, nec id usu Romanae Ecclesiae probatur. Quid enim sibi vult titularis sine missa et sine officio? Sed nec Secundae Personae cultus ab Ecclesia separatim tribuitur. Corrigendi sunt proinde auctores (Cappello, A Coronata, Moretti, Collins) qui contrarium gratis affirmant. Nova rubrica MR ante orationem *A cunctis* applicari tantum debet Spiritui Sancto, secus non intelligitur.

(31) Ex eo quod altare consecratum habere debeat titulum, sunt qui putant necesse esse ut vel super ipsum altare vel retro adsit imago sculpta titularis, ita ut altare sit potius basis ad imaginem sustentandam quam mensa sacrificii. Sunt etiam qui volunt rubricam MR modificare ut statua super altari ponatur! Spitoni, Rubricae Missalis et Breviarii, Quaracchi 1930, pg. 96.

(32) Non raro accidit cum ecclesiis gothicis medii aevi quod non consecrabantur quia nunquam finem habebant. Ita v.g. metropolitana Parisiana consecrata fuit a Cardinali Dubois, tempore 1mi. Europaeici belli. Die 24 octobris 1936 Cardinalis Maurin ecclesiam primacialem Lugdunensem, novo apposito altari, consecravit, nondum enim uncta fuerat. Cathedralem Rhemensem consecravit anno 1937 Cardinalis Suhard.

(33) D 3881, V, immutatum est a novis rubricis BR, licebat antea episcopo designare dominicam minorem.

(34) Ita die 21 Februarii 1940 statuit SRC pro novo calendario totius Brasiliae.

(35) Aliquando conceduntur lectiones propriae pro secundo nocturno ecclesiis insignibus, uti Cathedrali Coloniensi.

(36) Verum est Sacram Congregationem jubere candelas accendi per integrum diem, inde a primis vesperis; sed intellige, tempore officiorum; secus etiam per totam noctem ardere deberent, seu a primis vesperis ad completorium diei sequentis. Citatum decretum quaesitis respondet tantummodo.

(37) Urbanus VIII consecravit basilicam Sancti Petri, omissa consecratione altarium, nam altare majus jam erat consecratum et alia altaria erunt postea consecranda. A Sancta Sede posse concedi indultum consecrandi ecclesiam sine consecratione altarium *quia* jam sunt consecrata, nemo est qui dubitet; sed tale indultum *non* conceditur, est enim ritui PR contrarium. Vide suffragium ad decretum SRC 3907, vol. IV, pg. 416.

(38) Illustrissimus Dnus Franciscus Spellman, Neo-Eboracensis Archiepiscopus, vetus altare majus suae ecclesiae metropolitanae sancti Patricii ab ea amovit, ejusque loco construi jussit novum et perpulchrum altare, ignoti donatoris liberalitate, quod nobili aereo umbraculo seu tabernaculo coopertum, die 9 Maii 1941, solemni ritu unxit et sacravit, plaudentibus venerabilis templi cultoribus et, per orbem, sacrae rei artificibus. Utinam exemplum ab aliis sequatur!

(39) Ita jubet PR (ante antiphonam *Stetit Angelus*), sed ubi legitur *producit desuper signum crucis*, lege *triplex signum*, eo quod in textu tres habentur cruces, et juxta usum receptum episcopi (non tamen abbates vel praelati) cum triplici signo crucis res benedicunt. Juxta CE vero episcopus incensum benedicit cum formula quae in *Ordo Missae* MR habetur *Ab illo benedi*+*caris in cujus honore cremaberis* cum unico signo crucis. CE I, 23, 2. Nec semper CE et PR conveniunt.

(40) Rubricae dicunt *pontifex dicit, incipit, recitat* sine distinctione; sed, in functionibus cum cantu, non solum pars scholae sed etiam pars pontificis fieri debet cum cantu; episcopus nequit proinde se eximere a cantu orationum et invocationum. Vide Andrieu tome III, pg. 473, ... dicit Episcopus *oremus excelsa voce* et sic passim.

(41) Mappa cerata altaris e tela linea crassa conficitur ad dimensiones mensae; super eam spargitur, cum aliquo instrumento, cera liquefacta. Tela oleosa artefacta non sufficit, nec licet super mensam altaris apponere tobaleas quae non sint e tela linea confectae. Vide notam 89.

(42) Ritus dedicationis ecclesiae, a Friderico Pustet editus in usum episcopi, prae ceteris laudandus est propter textus dispositionem, et quia tradit musicas notas quae ab episcopo cani debent, parte scholae exclusa.

(43) In extremitatibus gossipii candelarum parietum, altaris et incensi altaris, ponatur compositio aliqua, uti cera cum therebentina vel quid simile, ad candelas sine mora accendendas.

(44) Alphabetum graecum viginti et quatuor litteris componitur; latinum vero tres super viginta; sed in figura Pontificalis adjungitur littera U uniformitatis gratia, licet rubrica post *Veni Creator* loquatuor de viginti tribus tantum, seu exclusa U. Litterae J et W non sunt apponendae.

(45) Cruces quinque super altari comburendae cum duobus gossipiis ceratis longitudinis quatuordecim centimetrorum conficiuntur, quae in medio firmantur; extremitates in altum vertuntur. In unaquaque extremitate et in medio subtus grana incensi quinque locantur.

(46) Juxta PR sepultari debent reliquiae martyrum, proinde saltem duorum, et quidem omni exceptioni maiores CJC 1283. Non prohibetur, est enim praeter rubricas, adjungere reliquias aliorum sanctorum, praesertim, si habeantur, titularis ecclesiae seu altaris. D 4180, III agit de valore et non de liceitate consecrationis altaris in quo reliquiae unius tantum martyris sepultae fuerunt.

Reliquiae sint ossa, vel pulveres qui in sepulturis martyrum e corporum decompositione remanent, ita ut sint revera partes, licet decompositae, corporis. Fas non est in consecratione altarium adhibere reliquias quae pertinebant ad martyrem, uti vestes vel quid simile, nec sufficiunt capilli cum non sint partes corporis. Res est per se clara, sed cum exstent doctores qui contrarium docent, necesse est doctrinam certam firmare. Quid sibi velint cantus antiphonae *Surgite sancti Dei* vel *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt,* si pars corporis non sepelitur ?

(47) Latet ratio cur in initio consecrationis praescribatur litaniarum cantus usque ad medietatem seu sanctorum invocationes tantum; nam non solet in Romana Liturgia fieri aliquid truncatum sicut hic praescribitur. Optandum ut in definitiva recensione PR haec prima recitatio deleatur, tum quia litaniae erunt postea solemniter cantandae, tum quia consecratio jam est ritus sufficienter protractus; praeterea in multis codicibus litaniae semel tantum cantantur, et quidem in solemni introitu post ecclesiae aperitionem; in PR saeculi XII hoc loco dicitur solum ter *Christe audi nos.* Andrieu tome I, pg. 177. PR tamen ordinem Durandi conservavit. Ibidem tome III, pg. 458.

(48) In consecratione parvae ecclesiae episcopus cum suis ministris, crucifero et ceroferariis, facit circuitum ecclesiae, ceteris suis locis remanentibus.

(49) Si impossibile sit ecclesiam circuire, circuitus fiat meliori quo fieri potest modo, D 1321, I. Aspersio fit a dextris usquedum liceat, deinde pontifex revertitur ad januam et aspergit a sinistris, et iterum redit ad januam. Tertia aspersio fit inverso ordine. Si nullo modo liceret parietes aspergere, petendum esset indultum apostolicum.

(50) In ritu consecrationis ecclesiae semper fit invitatio ad genuflectendum ante orationes. Excipiendae sunt orationes pro rerum benedictionibus: aquarum, cementi, incensi et ornamentorum, pro quibus dicitur *Dominus vobiscum* cum vel sine *Domine, exaudi orationem meam. Flectamus genua* omittitur pariter ante orationem initialem *Actiones nostras,* et ante orationes pro reliquiarum sepultura, forsitan quia agitur de sanctorum glorificatione. Iterum dicitur ante orationes pro consecratione altaris; omittitur demum ante orationes quae post altaris confirmationem dicuntur, eo quod ritus evadit solemnior. Vide notam 97.

(51) Juxta CE (I, 8, § 3) quando episcopus genuflectit, primo genuflectit, et genuflexo mitram deponit; surgens, primo surgit et stans accipit mitram. Generatim vero solent episcopi primo caput nudare, deinde flectere genua, seu stantes ponunt et deponunt mitram juxta regulam ejusdem CE pro episcopo ad altare (ibidem inferius); ita etiam docet Martinucci et cum eo rubricae PR passim; Menghini tamen Martinucci corrigit. Sequimur Martinucci et usum receptum. Cft. MM vol. III, pg. 161 vel 301.

(52) Faldistorium est legile optimum pro Pontificali dum cantantur litaniae, recedit candelifer quia episcopus litanias non canit. Minime nobis placet praesentia ministrorum libri et candelae retro faldistorium toto tempore litaniarum cantus; sed nec pro intonatione hymni *Veni, Creator* cum episcopus sit genuflexus.

(53) Valde utilis est scribere in schida seu tabella, invocationes quae ab episcopo cantantur in litaniis, addito nomine titularis, praesertim si plura altaria simul consecrentur, et intra Pontificale ponere, ne oriatur confusio.

(54) Tribus modis scribi possunt litterae super cineres:

I — Juxta communiorem usum pridie consecrationem super pavimentum pinguntur lineae duae latitudinis triginta centimetrorum, a cornu extremo dextro ad cornu extremum sinistrum, et duae similes ab alio cornu extremo sinistro ad aliud cornu extremum dexterum, pro quibus inservit calx vel quid simile. Lineae in 24 partes aequales dividuntur, cauto tamen ut in medio crucis sit spatium liberum saltem unius metri seu trium pedum. In locis ubi scribi debent litterae fit signum cum calce. Dum cantantur litaniae cineres a sacristis sparguntur intra lineas ubi litterae scribi debent. Extra lineas ponuntur chartulae cum litteris, magnis characteribus scriptis; ita episcopus facile eas super cineres transcribit.

II — Litterae scribi etiam possunt quo sequitur modo. Lineae seu faciae pinguntur ut supra, sed, in locis ubi episcopus scribere debet litteras, ponuntur tabellae scissae juxta formam litterarum, et super ipsas sparguntur cineres, ita tamen ut episcopus possit litteras plus minusve videre. Episcopus cum baculo scribit litteras super tabellas; postquam episcopus singulas litteras scripsit, sacrista chartulam amovet et subter unamquamque apparebit littera alphabeti.

III — Litterae ab artifice tempestive in pavimento scribuntur seu potius pinguntur cum calce; cineres postea super litteras ponuntur ita ut eae plus minusve ab episcopo videri possint. Episcopus super litteras scribit, deinde cineres a sacristis amoventur. In ecclesia cathedrali Southwarcensi alphabeta in pavimenti lapidibus scripta ante ejus destructionem potuerunt videri.

(55) Repetitio antiphonae *O quam metuendus est* post singulos versus, seu sedecim vices, supponit ecclesiam amplissimam. Pro communioribus ecclesiis sufficit si antiphona repetatur post binos versus, omissa antiphona inter *Gloria* et *Sicut erat.* In consecratione parvi oratorii sufficit si antiphona repetatur post ternos versus et post *Sicut erat.* Repetitio antiphonae est secundaria relate ad ritum ab episcopo faciendum, et ponitur ne sine cantu prosequatur functio. Ita Durandus, o.c. pg. 464 "praemissa antiphona, per singulos versus, quamdiu opus fuerit, repetatur". Solutio frequenter data canendi antiphonam recto tono non placet. Praeterea episcopus moram faciat ut detur tempus cantoribus. Caeremoniarius totam quaestionem moderabitur. Vide notam 61.

(56) Rubrica dicit *Pontifex genuflexus dicit* quod videtur supponere episcopum primo genuflectere utroque genu et deinde canere *Deus in adjutorium.* Juxta usum communiorem episcopus genuflectit unico genu et canit *Deus in adjutorium,* deinde assurgit. Ita dicimus faciendum ne nimis gravetur pontifex genuflexione duplici ter facienda. Praeterea rubrica ante *Deus, in adjutorium* ubi de ecclesiae reconciliatione dicit *Pontifex genuflectit* et non *genuflexus.* Signum crucis dum dicitur *Deus, in adjutorium* nec praescribitur faciendum nec fieri debet.

(57) Baculum et mitram adhiberi debere declaravimus pro exorcismis salis et aquae, nam regula sumitur e principio CE *mitra et baculus sunt correlativa;* praeterea PR praecipit usum baculi pro exorcismis salis et aquae quando de benedictione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda.

(58) Benedictio aquae in qua, praeter salem, adhibentur cineres et vinum, antiquissima est in Liturgia Romana; licet non videtur fuisse a sancto Gregorio composita, gregoriana vocatur quia de ea loquitur Gregorius in epistola ad Mellitum abbatem. MPL, tom. 77, c. 1215. Ea utitur Ecclesia veluti aqua sacrificiali, propter quod habet cineres et vinum mixtum, in consecratione vel reconciliatione ecclesiarum et altarium, quibus exclusive reservatur. Benedictio haec est pars ritus consecrationis ecclesiae a quo nequit separari, licet jam habeatur aqua prius benedicta; ita enim volunt rubricae et declaravit Congregatio Sacris Ritibus praeposita, D 3153. Vide notas 11 et 203 tomi III.

(59) Prolixa nimis invocatio *Sanctificare* cum interruptione, interposita rubrica et continuatione ad ostium, in PR a Durando posita fuit, qui tamen addit "quaedam ecclesiae dicunt praephationem sequentem (*Sanctificare*), aliae vero non, *et bene*" inter quas Romana Ecclesia adnumerabatur. Durandus, o.c. pg. 468. In editione PR saeculi XII oratio haec desideratur. Andrieu tome I, pg. 182; sicut etiam in PR saeculi XIII, o.c. tome II, pg. 430. Stylus praefationem invocat et in nonnullis pontificalibus tota invocatio habetur in forma praefationis cum musicis notis, vide v.g. PR Pii IV, anni 1561. Formula antiquissima est et in multis codicibus traditur pro benedictione aquae, Martène, tom. II, pg. 265 et 271. In PR tamen benedictio aquae gregorianae terminatur oratione *Omnipotens... creator et conservator;* nam invocatio *Sanctificare* omittitur in consecratione altaris solius vel in reconciliatione ecclesiae cum benedicitur aqua. Optimo consilio fuit proinde ex antiquis pontificalibus romanis simpliciter dempta; prout nunc exstat, praesertim cum interposita rubrica, toti curriculo rituum opponitur; optandum proinde ut in definitiva editione PR, exemplo maiorum, deleatur. Vide Catalanum in PR tom. II, pg. 72.

(60) Titulus *Consecratio altaris* ante unctionem mensae cum aqua gregoriana in PR legendus, in errorem inducit multos, quasi hic incipiatur altaris consecratio usque ad finem functionis protrahendus; est enim unicus titulus toti functioni appositus. Hic agitur potius de altaris purificatione; consecratio proprie initium habebit post reliquiarum sepulturam, titulus tamen in Pontificali Durandi legitur. Andrieu tome III, pg. 470.

(61) Juxta rubricam antiphona *Introibo* repetitur post singulos versus *si necesse sit.* In praxi, si omnia expedite fiant, repetitio antiphonae non est necessaria, vel fiat post binos versus. Antiphona in fine repetitur si repetita fuit prius, nam in ritu consecrationis ecclesiae antiphonae non repetuntur post psalmos, uno 150 excepto. Rubrica *si necesse sit* valde utilis est pro locis similibus, cum non soleat PR rubricas repetere.

(62) Juxta PR videtur episcopus debere hanc et sequentes orationes canere apud suppedaneum altaris, dicit enim rubrica *stans ibidem*: practice tamen, nisi agatur de suppedaneo sat amplo, difficile habetur spatium sufficiens ministris de libro et scotula inter episcopum et altare; praeterea altare humidum et oleosum invenitur, in praxi caeremoniae meliori modo fiunt si orationes recitentur in plano presbyterii ante gradus altaris.

(63) Praecipiebat Moyses: Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo; reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus. Exodus, cap. 29, V. 12. Episcopus digito suo ponit aquam in medio et super cornua altaris, residuum aquae funditur ad basim sive pedem stipitis per circuitum, ait Pontificale. Sed etiam septies altaris aspersio ante unctiones e lege Moysi sumitur *cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud.* Lev. cap. VIII, v. 11.

(64) Benedictio cementi ponitur in fine 3ae. partis ante processionem, quia juxta PR pontifex debet primo mixtionem facere cementi et aquae gregorianae et deinde illud benedicere, seu benedictio cementi est pars ritus aquae gregorianae; ru-

brica PR tamen nequit practice servari cum hodierno cemento, quod ante mixtionem benedici debet, ne cum mora vim suam perdat.

(65) Dici potest responsorium proprium de martyribus quorum reliquiae sunt sepeliendae si habeatur, loco antiphonarum; psalmus 94 cum sua antiphona *Via sanctorum* solet omitti brevitatis gratia.

(66) Juxta RR (Tit. IX, cap. 14) in processionibus pro translatione reliquiarum *omnes cum luminaribus accensis procedant;* sed juxta PR h.l. sufficiunt aliqua intortitia; laudabiliter tamen tradentur candelae accensae clero assistenti, ad normam RR, non tamen cantoribus neque inservientibus ne impediantur.

(67) Rubricae supponunt scholam ante ostium antiphonas cantantem, et populum sequentem exclamantem *Kyrie eleison.* Rubrica antiquissima est: Populus sequens cum mulieribus et parvulis cantet *Kyrie eleison.* Andrieu, tome I, pg. 186. Sed antiphonae cani nequeunt una cum *Kyrie eleison;* proinde, sicut usu didicimus, a rubricis aliquantulum discessimus.

(68) Lectiones hoc loco positae, mutatis temporibus, non amplius leguntur; responsorium *Erit mihi Dominus,* licet sit positum ad lectiones complendas, non esse omittendum declaravit SRC. D 3729, VIII.

(69) Rubrica ante invocationem *Porta sis benedicta* obscuritate laborat, dicit enim *signat ostium exterius,* sed unctio fieri debet in utroque poste, et ita SRC declaravit, D 3364, VI. Juxta Durandum tamen, cuius rubrica in PR transcribitur, revera agebatur de unica unctione super ecclesiae ostium. Ex inde intelligitur tum rubrica tum oratio. Unctio ad postes est recentior et secum fert mutationem rubricae et formae unctionis, quae tamen immutatae non fuerunt. Andrieu tome III, pg. 475. PR saeculi XII de unctione vel benedictione ostii silet. o.c. tome I, pg. 186. Ritus tamen etiam in Urbe jam ante Durandum in usu erat. o. c. tome II, pg. 433.

(70) Antiquissima est lex de ingressu populi hoc loco; praeterea dicit antiphona *Ingredimini... sed et populus fidelis cum gaudio insequitur iter vestrum.* Andrieu tome II, pg. 434. Non sunt proinde laudandi caeremoniarii qui populum ab ingressu prohibent.

(71) Rubrica ante antiphonam *Sub altare Dei audivi* facit claudere sepulcrum et cooptare tabulam; rubrica vero post orationem *Deus qui ex omnium* supponit pontificem tunc solum claudere seu firmare sepulcrum: contradictio originem ducit a cementatione mensae quando reliquiae in stipite sepeliebantur. Andrieu, tome I, pg. 187, 8.

(72) Rubrica jubet episcopum deponere mitram ad antiphonam *Stetit angelus* inchoandam, quae quidem praescriptio est contra regulas ipsius PR; mitra non deponitur ad inchoandam antiphonam si episcopus debet statim ritum aliquem facere pro quo mitra adhibetur. Haec tamen antiphona *Thuris offertorium* a Durando vocatur. Andrieu tome III, pg. 485. Rubrica post antiphonam *Stetit angelus* incensationem subjicit cantui, et jubet episcopum incensare altare *donec* cantus finiatur, suggerens incensationem indefinitam more graecorum; tamen antiphona brevis est, nec potest episcopus altare convenienter incensare nec *dum* nec *donec* antiphona cantatur. Ita tamen legit Durandus, ibidem pg. 485. Oratio *Dirigatur* nulla re ac ratione cum reliquiarum sepultura conjungitur, ponitur potius ad ritum thuris offertorii complendum.

(73) Juxta PR sacerdos thuriferarius erit superpelliceo indutus; usus romanus tamen erat ut *sacerdos paratus incenset cum thuribulo per circuitum,* sic enim legitur in quodam caeremoniali Vaticani saeculi XV. Reg. lat. 280, apud Braun, *der Altar,* I, pg. 705. Usus antiquus erat certe laudandus, si enim inservire debet presbyter, casulam vestire debere nobis videtur, sed standum rubricae.

(74) A rubricis aliquando discessimus quoad cantus dispositionem, nam ter praescribitur cantus responsorii *Dirigatur* pro tribus ultimis incensationibus per circuitum; pro tribus successivis vero rubrica jubet episcopum altare circumire *dum* cantatur responsorium, quod impossibile est, nisi agatur de altaribus parvulis, responsorium enim breve est; proinde posuimus repetitionem responsorii, seu semel pro unoquoque circuitu. Circuitus fit in plano presbyterii ne teneatur pontifex saepius ascendere et descendere.

(75) Triplex unctio mensae, semel et iterum cum oleo puerorum, postrema cum chrismate, antiquissima est, et ab omnibus fere traditur codicibus. Cft. Frere, Pontifical Services, vol. I, pg. 28, 29; Andrieu tome I, pp. 188-189. Unctiones cum oleo, licet formula sit eadem, sunt praeparatoriae ad chrismationem, quae principalis pars est totius consecrationis. Quinque fiunt unctiones in memoriam quinque plagarum Christi. Durandus, Rationale, lib. I, cap. VII, n.° 31.

(76) Juxta tortuosam rubricam *Post haec Pontifex,* in principio 5ae. partis, presbyter thuriferarius altare incensat *donec* consecratio perficiatur. LVH docet presbyterum debere altare circumire usque ad finem totius ritus, illud continuatim incensando, sed perperam; nam rubricae quae sequuntur jubent episcopum accipere et tradere thuribulum presbytero usque ad finem unctionis mensae tantum; postea tacent de presbytero thuriferario et aliis utuntur verbis. Ratio apparet: presbyter thuriferarius altare circuit donec perficiatur pars essentialis consecrationis, ad maiorem splendorem, et, finitis unctionibus mensae, explevit munus suum. In Liturgia gallicana diaconus altare circuibat incensando, sicut etiam nunc fit in Ritu ordinis Praemonstratensis. Praeterea incensatio altaris interrumpitur dum parietes consecrantur et incensatio per circuitum in ritu qui sequitur sensu caret, cum incensum erit super altare ipsum cremandum.

(77) Juxta MM, quem sequitur LVH et recentissime Moretti, episcopus mitram deponit cum incensat cruces ad parietes, sed hoc contrarium est rubricae: incensationes altaris fiunt cum mitra, et altare plus honoratur quam ecclesia in ritu dedicationis.

(78) Consecratio ecclesiae, seu unctio parietum, ponitur post invocationem *Lapidem hunc,* quae est optima conclusio stationis ante altare, cum qua concluditur etiam altaris consecratio. Unctio parietum tamen finem habet quasi ex abrupto, sine ulla oratione quae se referat ad ecclesiam modo consecratam; nam, uncta ultima cruce, immediate praescribitur nova incensatio altaris cum antiphona *Aedificavit* et habetur altera invocatio *Dei Patris* circa offerenda super altare; deinde transitur ad

pulcherrimum ritum cremationis incensi. Difficile est proinde ritum hic analysare, nam incensationes altaris jam factae fuerunt in 5.ª parte, et incensatio ad antiphonam *Aedificavit* est supervacanea, praesertim cum incensum erit statim solemniter cremandum super altare ipsum, quod est plus quam incensatio. Incensatio altaris tamen, dum haec antiphona cantatur, in usu erat saeculo XIII (Andrieu tome III, pg. 436) et etiam pro altari portatili. Ibidem pg. 502.

Cum agitur vero de consecratione altaris solius, invocatio *Dei Patris* circa offerenda ponitur post primam invocationem *Lapidem hunc,* interposita a schola antiphona *Aedificavit* sine incensatione tamen. Hac secunda invocatione terminatur statio ad altare et consecratio ejusdem; postea incipitur ritus alius, cremationis scilicet incensi, inter omnes nobilissimus. Ut bene dicit Braun (*Der Altar,* I, pg. 665) nulla fit incensatio post totalem unctionem mensae, quia incensum erit super altare ipsum cremandum. Facilius est ritus hujusmodi analysare cum non consecratur ecclesia, quum quando de dedicatione altaris et ecclesiae. Melius esset si regula statuta pro consecratione altaris solius extenderetur ad ecclesiam, ita ut unctio ad cruces fieret post invocationem *Dei Patris,* omissa incensatione ad antiphonam *Aedificavit Moyses,* quae a Durando excluditur. Andrieu tome III, pg. 491.

(79) Juxta rubricam pontifex flexis genibus intonat *Alleluia;* sed exclamatio haec semper stans canitur, et episcopus genuflectit ad versum, talis est enim usus receptus.

(80) Juxta Martinucci (in nota hoc loco) post orationem *Domine sancte* debet episcopus statim cantare aliam *Deus omnipotens* et praefationem, dicit enim rubrica *Interim Pontifex.* Sed oratio *Domine Sancte* pertinet ad ritum cremationis incensi, non autem secunda; et si verum est rubricam dicere *Interim,* tamen in initio dicit *Post haec, combustis candelis et thure.* Praeterea minime decet eradere cineres *dum* cantatur praefatio. Amplius: repetitio invitationis ad genuflectendum supponit interruptionem ritus; nam quando duae vel plures orationes simul recitantur, invitatio dicitur tantum ante primam (vide v.g. orationes in fine litaniarum et ante antiphonam *Unxit te Deus*), hic vero invitatio iteratur.

(81) In PR saeculi XII, oratio haec cum insequenti praefatione et oratione *Majestatem tuam* (infra) vocatur *altaris consecratio.* Andrieu tome I, pg. 190. Item, tome II, pg. 437.

(82) Stipes proprie non consecratur, nisi inquantum est basis seu sustentaculum mensae, de cujus consecratione participat; proinde nulla adhibetur formula ad unctionem frontis, *Confirma hoc, Deus* tamen dicebatur ab episcopo cum frontem ungebat, sicut in multis legitur codicibus. Braun, *Der Altar,* I, pg. 716. Andrieu tome I, pg. 192; tome II, pg. 437.

(83) Ritus finalis unctionis frontis vocatur, et bene quidem, a Braun *confirmatio altaris* (*Der Altar,* vol. I, pg. 716); sed de confirmatione altaris etiam suo tempore loquebatur Durandus. Rationale, lib. I, cap. VII, n.º 37.

(84) In omnibus codicibus Durandi anterioribus, teste Catalano (h. 1.), dicitur antiphona *Confirma hoc, Deus* sine psalmo 67; nam caeremonia quae fieri debet ab episcopo brevissima est, pro ea enim sufficit cantus antiphonae; cantus psalmi 67 hoc loco cum suis 38 versibus interruptio est ritus consecrationis ab episcopo exsequendi (Andrieu tome I, pg. 192; sed vide, tome II, pg. 437, antiphonam cum psalmo). Ne fiat nova interruptio post orationem *Supplices* ad tergendum altare, et ut cantus ps. 67 possit utilitatem praeseferre, convenit extergere altare dum recitatur psalmus praedictus sicuti exposuimus et talis erat usus receptus. Andrieu tome II, pg. 437.

(85) Rubrica tacet de *Gloria Patri* in fine psalmi 67, sed praescribitur in consecratione solius altaris, et in ecclesiae reconciliatione et regula est eadem. Andrieu tome III, pg. 493. Ad rem notetur. In ritu consecrationis ecclesiae vel altaris cantus doxologiae, sive in fine psalmorum sive in responsoriis, omittitur. Dicitur tantum post antiphonam *Corpora sanctorum* in fine ritus sepulturae reliquiarum, quia sancti de gloria Dei quodammodo participant. Deinde doxologia silet et iterum, finita altaris consecratione, ad psalmum *Lauda Jerusalem* assumitur et usque ad finem ritus cantatur. In fine hymni *Benedictus* Durandus doxologiam omisit, fuit tamen ab alia manu in PR apposita. o.c. pg. 464.

(86) Unctio conjunctionum qua exprimitur inseparabilitas mensae et stipitis est ritus novissimus relate ad alios; nam, teste eodem Catalano qui innumeros pervolutavit codices, haec unctio invenitur tantum in codice Vaticano Durandi. Andrieu tome III, pg. 494. In PR saeculi XII vel XIII desideratur. Andrieu, tome I, pg. 192; tome II, pg. 438.

(87) Juxta Martinucci licet episcopo ad thronum ascendere pro lotione manuum et benedictione mapparum, si adsit thronus; sed cum tota consecratio fit ad faldistorium, et cum episcopus debet postea iterum altare ascendere, conveniens est ut thronus adhibeatur pro missa solemni tantum. Praeterea rubrica hoc loco dicit *Pontifex accedit ad sedem suam juxta altare,* quod certe de faldistorio intelligi debet.

(88) In Pontificali datur *Benedictio tobalearum, vasorum et ornamentorum ecclesiae et altaris.* Nulla exstat dubium de mappis, sunt enim mappae altaris, sed quaeri potest de quibusnam vasis seu ornamentis agitur, praesertim cum benedictio sit constitutiva? Arcendae sunt res quae speciali benedictione gaudent uti vasculum pro Eucharistia et indumenta sacerdotalia; antependia non solent benedici, sed hac benedictione benedici debet saltem primum antependium; candelabra non solent recipere benedictionem. Generatim pro regula sumitur ut benedicantur tantum mappae altaris et antependium, et ita facile solvitur difficultas.

(89) Finita consecratione altare cooperiri debet cum *chrismali sive panno lineo cerato.* Ratio est ordinis practicae, videlicet ne mappae altaris maculentur sacris oleis; sed cum altare debet lavari, chrismale non erit amplius necessarium. Quod quidem comprobatur rubricis MR quae, cum loquuntur de rebus necessariis ad celebrandam missam super altare consecratum, dicunt adesse oportere mappas tres, ne verbum quidem de chrismali. MR tit. XX. Praeterea Gavantus in suo commentario ad titulum XX tacet hac de re. In quibusdam dioecesibus tamen usus chrismalis praecipitur lege particulari; ita sanctus Carolus pro Ecclesia Mediolanensi. AEM tom. I, col.

1435. Ad rem Van der Stappen: Chrismale retineri potest in perpetuum super altaris mensam, ...praesertim in ecclesiis humescentibus, quia a mappis arcet omnem humiditatem. Sacra Liturgia, tom. III, pg. 65. Vide *The Ecclesiastical Review*, Jan. 1942 *The cere-cloth.* Vide notam 179 tomi III.

(90) Pulcherrimus ritus vestitionis altaris modo consecrati concordat cum rubricis MR (tit XX) et CE (I, 12, n.° 11), quae usum antependii exigunt. Prout in officio dedicationis Ecclesiae Lateranensis legitur "...altare, quod chrismate delibutum, Domini nostri Jesu Christi, qui altare, hostia et sacerdos noster est, figuram exprimeret", sed Christus vestitus, non denudatus. Longe proinde a vero sensu liturgiae aberrant illi qui putant antependium non esse necessarium; praeterea, color liturgicus temporis vel solemnitatis servari debet in vestibus altaris et ministrorum ejus. Alibi fusius hac de re agemus, sed consule v.g. Webb, *The Liturgical Altar,* London, 1939, pg. 63 et *Inspired Symbolism* ejusdem, *Liturgical Arts,* vol. X, 1942, pg. 32.

(91) A pontificali non determinatur tonus adhibendus pro *Benedicamus Domino.* Solemnius erit si duo cantores tono festivo illud modulentur, nam in officio solemni cantus huius versus potius pertinet ad cantores.

(92) Missa dedicationis deberet esse prima missa ecclesiae modo consecratae, quae divino cultui solemni consecratione aperitur. Hodie tamen solent ecclesiae etiam maiores prius benedici et populo patefieri, deinde, elapso annorum tempore, cum interna ornamentatio absoluta est, consecrari; id tamen non laudatur, nam interna ornamentatio decursu temporis fieri potest; ad ecclesiam consecrandam vero sufficit ut structura architectonica et altare maius absolutum sit. Sed etiam hodie aliquando missa dedicationis est prima missa in ecclesia celebrata; ita factum est in ecclesiis Sancti Antonii, Teresopoli, Brasiliae, anno 1934, Sanctae Mariae Angelorum, Clanvaraghan, County Down et Sancti Malachiae Armachanensis anno 1937 in Hibernia.

(93) Collecta titularis et dedicationis sub unica conclusione, ut in novissimis rubricis statuitur, praesentem facit maiorum usum, quo ecclesiae dedicabantur in die titularis, cujus reliquiae in ara maiori sepeliebantur: processio reliquiarum erat processio corporis titularis. Etiam Durandus jubet orationes duas sub unica conclusione recitare, o.c., pg. 496. Vide notam 29.

(94) Mens citati decreti haec est: Dedicatio est festum Domini, sed in missa *Terribilis* praefatio propria desideratur; proinde dicitur praefatio Domini cujus festum primo loco commemoratur, licet commemoratio titularis sit votiva ad instar, nam non tenet locum missae impeditae, SRC tamen ita fieri decrevit, optimo sane consilio; sic enim arctius conjunguntur festa dedicationis et titularis.

(95) Juxta rubricam PR *in fine Pontifex dat benedictionem solemnem;* si celebret vel assistat ad thronum benedictio dabitur intra missam ante ultimum evangelium, nec erit, finita missa, repetenda. Sic enim legenda est rubrica et haec est mens decreti 3729, IX. Si vero consecrator recedit ante missam, tum benedictionem tum indulgentias dat ipse finita consecratione ut infra habetur; nam juxta formulam PR indulgentias concedit consecrator, licet non sit ordinarius loci, et qui indulgentias concedit etiam populum benedicit.

(96) Juxta rubricam PR pro consecratione ecclesiae vel altaris episcopus *incipit et dicit* antiphonam cum septem psalmis. In praxi tamen id fieri nequit; fas tamen erit episcopo memoriter psalmorum recitationem sequi.

(97) In toto ritu consecrationis ecclesiae versus *Dne. exaudi* et *Dnus. vobiscum* dicuntur tantum ante benedictiones rerum vel elementorum, sed etiam pro ipsis non datur uniformitas, nam aliquando invenies *Dnus. vobiscum,* aliquando etiam *Dne. exaudi*; sed cur ponantur ante orationem *Deus qui es visibilium rerum,* contra ipsam regulam PR, latet nobis. Haec oratio, unica quae in ritu consecrationis ecclesiae desideratur, potius dici debet introductoria ad altaris unctionem; legitur tamen in fine aspersionum cum qua nihil habet commune. Res tamen sic disposuit Durandus, o.c., pg. 482. Vide notam 50.

(98) Rubrica ubi de consecratione altaris solius silet de incenso benedicendo ante processionem, sed fieri debet juxta regulam generalem pro processionibus. Ita etiam censet MM.

(99) Non expedit presbyterum adhibere, sive paratum sive cum stola tantum, sicut mos est in Anglia, ad reliquias ferendas ante episcopum; est enim contra praescriptum rubricarum hoc loco, et contra regulam generalem: reliquiae vel portantur ab episcopo, vel feretro elevantur.

(100) In ritu consecrationis altaris solius praecipitur repetitio antiphonae post singulos versus psalmorum 83, 91, 44, et 45 dum fiunt unctiones mensae; de repetitione tamen tacet rubrica consecrationis altaris una cum ecclesia. In uno et alio casu valet rubrica in initio ps. 42 apposita, videlicet: antiphona repetitur *si necesse fuerit.* Antiphonae repetitio necessaria erit si plura altaria ab eodem pontifice simul consecrentur. Vide notam 61.

(101) Legit rubrica PR (ante antiphonam *Introibo* in consecratione ecclesiae): "si plura altaria in eadam ecclesia fuerint consecranda, pontifex eosdem actus et caeremonias facit sub eisdem verbis in singulis altaribus successive, sicut facit in primo altari". Ex quo concluditur orationes ac invocationes non debere repeti sed tantum actiones; secus enim inutilis esset plura altaria simul consecrare. Latet ratio cur repetendae sint collectae *Deus qui in omni loco* et *Deus, qui ex omnium cohabitatione,* contra regulam pro aliis statutam. D 3613, 11, 1, 3. In una et alia agitur de loco consecrando, et orationes dicuntur in singulari per modum unius. Praeterea oratio illa est potius terminatio processionis, quae una est, quam initium consecrationis sepulcrorum singulariter exsequendae; oratio altera finis est ritus sepulturae, et semel dicta, valet pro omnibus altaribus.

(102) Dubium oritur ex eo quod incensatio altaris ad antiphonam *Aedificavit Moyses* non praescribitur quando agitur de consecratione altaris sine ecclesia; sufficit in casu incensatio altaris maioris, sed standum decreto quousque aliter declaretur.

(103) Sufficit si pontifex incensum ponat super primum altare, dum clerici idem faciunt super cetera, ita enim declaravit SRC pro altaribus portatilibus. D 4244, IV.

(104) Nostris hisce temporibus sat frequenter servatus fuit ritus consecrationis ecclesiae et omnium altarium a pluribus consecratoribus una simul, sed a diversis diversa servata fuerunt; intra principaliores notentur: Ecclesia Cathedralis Westmonasteriensis, 1910; Basilica Sacri Cordis de Montmartre, 1919; Basilica sancti Benedicti, Sancti Pauli in Brasilia, 1922; Ecclesia Abbatialis de *Buckfast*, 1932; Basilica Sancti Gregorii de *Downside*, 1935.

(105) Praescribitur crux cum intortitiis pro omnibus altaribus, eo quod consecratores agunt independenter unus ab alio, nec vult Ecclesia, ut patet in ritu consecrationis altaris, ut functio prosequatur sine cruce et sine luminaribus; praeterea consecratores debent frequenter reverentiam cruci exhibere. Si tamen altaria essent parva distantia unum ab alio, ita ut crux cum intortitiis ab omnibus videri possit, sufficeret crux una cum intortitiis duobus.

(106) Ordo rituum pro altaribus lateralibus inversus est, et aspersiones fiunt post processionem; ita enim consecratores ingressum primum faciunt cum reliquiarum processione. Non est necesse consecrationem altarium initium sumere ante aspersiones internas ecclesiae. Inversio ordinis comprobatur rubricis PR, quae praescribunt aspersiones altaris post sepulturam reliquiarum, quando de consecratione altaris cum sepulcro in stipite. (Vide caput V huius tituli.) Melius esset si in casu nostro unctiones altaris cum aqua gregoriana, septemque aspersiones fierent post reliquiarum sepulturam, seu post orationem *Dirigatur*, quae est veluti finis ritus sepulturae, sicut in capite V huius tituli inferius praescribitur; prout jacet fit quaedam interruptio ritus sepulturae quae initium habet cum processione, sed hoc decretare unius Apostolicae Sedis est.

(107) Contra regulas liturgicas esset si in processione solemni ante missam pontificalem, praelati, qui altaria consecraverunt, procederent sacris vestibus induti mitram in capite tenentes, ad missas lectas celebrandas ad altaria ab ipsis nuper consecrata, sicut jam vidimus, et talis agendi modus omnino reprobandus est.

(108) In dedicatione Basilicae Sacri Cordis Jesu, Parisiis habita anno 1919, Cardinalis Amette ecclesiam consecravit; deinde Cardinalis Vico *a latere* Legatus missam solemni ritu celebravit. In dedicatione Ecclesiae Abbatialis de Buckfast, habita anno 1932, Cardinalis Legatus *a latere* Bourne reliquiarum processioni et missae solemni interfuit, nam, infirmitatis causa, a missa celebranda abstinuit.

(109) Romani Pontifices, cum ecclesias consecrabant cardinales coadjutores invitabant; sic Urbanus VIII, anno 1626, sex cardinales, episcopali dignitate praeditos, adhibuit in consecratione Basilicae Vaticanae; sex Pius IX in consecratione Basilicae Paulinae anno 1854. Benedictus XIV cardinalem coadjutorem admisit in consecratione Ecclesiae Sancti Apollinaris de Urbe anno 1748. Epistola 2.ª ad abbatem Monasterii Campidonensis *Peracta*. Bullarium, tomus III, pars. 2, pg. 451.

Usus romanorum pontificum adhibendi coadjutores seu comministros pro quacumque ecclesia privilegium est papale, minime ad alios extendendum. Nam juxta Benedictum XIV debet episcopus non solum totam ecclesiam consecrare, sed etiam missam solemnem celebrare, nisi habeat indultum apostolicum invitandi alium. Idem Summus Pontifex tamen, postquam dixit moralistas potius supponere quam probare liceitatem plurimorum consecratorum (ibidem § 9), adjungit plurima exempla consecrationis ecclesiarum cum pluribus episcopis, praesertim summorum pontificum, qui coadjutores semper habuerunt, sicut et ipse fecit, et concludit *non ab uno ergo tantum, sed a pluribus episcopis ejusdem ecclesiae dedicatio fieri potest* (ibidem § 10). Ne verbum quidem de rubricis PR, qui de pluralitate pontificum non solum silent, sed positive per totum decursum supponunt unum tantum, qui debet etiam missam celebrare, nisi fatigatus nimis nequeat. Concludere licet: 1.º Auxilium coadjutorum in consecratione ecclesiarum antiquitus fuisse usus receptus, et ritui PR non repugnare; immo cum agitur de templis peramplis auxilium coadjutorum esse omnino conveniens, ne dicamus necessarium; 2.º Juxta rubricas PR tamen unus tantum adsit consecrator ut patet legentibus: proinde ad coadjutores adhibendos indultum apostolicum erit impetrandum, ut licite quis possit contra rubricas PR agere; quod quidem indultum, juxta Benedictum XIV, a Sancta Sede denegari non debet.

Verum est, ut ait auctor quidam in Ephemeridibus liturgicis (1893, pg. 619), consuetudinem petendi dispensationem seu privilegium a SRC adhibendi coadjutores non constare in ejus archivis; sed A. loquitur praesertim de consecrandis altaribus a coadjutoribus, dum consecrator principalis consecrat ecclesiam et altare maius; in tali casu apostolica dispensatio necessaria non est; quando agitur tamen de ponendis actibus essentialibus consecrationis ecclesiae a coadjutoribus, mutatur quaestio, et si non solent episcopi recurrere ad SRC, id evenit ex eo quod coadjutores non solent adhibere. In praxi an petendum sit necne indultum apostolicum, conscientiae episcopi celebrantis remittimus, vel cardinali legato si aderit. Indultum tamen liceitatem actus tantum efficit, nam de valore consecrationis dubitari nequit.

(110) Cauto tamen quod in episcoporum consecratione episcopi assistentes sunt revera coconsecratores, debentque orationes seu formulas simul cum conscratore dicere. In consecratione ecclesiae vero assistentes sunt tantum coadjutores consecrationis, licet ponant actus essentiales consecrationis.

(111) Urbanus Papa III duos adhibuit episcopos comministros in consecratione Ecclesiae sancti Juliani de Lepida. Epistola *Peracta* § 12. Aidanus Cardinalis Gasquet duos etiam adhibuit episcopos coadjutores in consecratione Basilicae sancti Benedicti Sancti Pauli in Brasilia ab ipso, nomine Summi Pontificis, peracta, anno 1922, nulla tamen interposita legatione.

(112) Dicit idem Pontifex *Mirari quoque non debes, si asseramus episcopis jus nullum esse, ut in ecclesiis dicandis, abbates in comministros assumant*, nec de tali indulto exstat exemplum; nec valet comparatio facta cum consecratione episcopi, pro qua aliquando permittitur assistentia sacerdotum seu abbatum, deficientibus episcopis; nam in tali casu abbates sunt simplices assistentes et non comministri. Epistola 1.ª ad abbatem Campidonensem *Ex tuis*, Bullarium, tomus III, pars 2.ª, pg. 445. CJC Fontes, vol. II, n.º 393.

(113) Coadjutores agunt tamquam comministri in consecratione altarium lateralium; seu ad horum consecrationem extenditur principium in consecratione ecclesiae

servatum, videlicet coadjutores sunt quasi extensio consecratoris principalis. In consecratione vero altarium lateralium ab aliis praelatis, quando unus episcopus ecclesiam dedicat, praelati non agunt tamquam coadjutores, sed independenter; nam consecrator ecclesiae nihil habet commune cum consecratoribus altarium, excepto litaniarum cantu et aquae gregorianae benedictione; seu altaria lateralia consecrantur *dum* consecratur ecclesia : sed talis agendi modus nobis non placet.

(114) Teste Benedictio XIV, duo episcopi possunt inter se eodem tempore dividere cruces inungendas, modo super unam et eandem crucem idem episcopus et unctionem faciat et verba proferat, sicut faciunt graeci in administratione Extremae Unctionis. Epistola *Paracta,* § 15. In consecratione Ecclesiae sancti Apollinaris Papa duas ultimas sacravit cruces. Ibidem § 18.

(115) Responsorium *Dirigatur* juxta rubricam PR h.l., cantatur *dum* pontifex incensat quinque cruces altaris; haec incensatio tamen silentio facienda est, et responsorium canitur pro incensationibus altaris per circuitum, seu consecratio inde ab incensationibus fit solito more. Agitur potius de rubricarum lapsu, brevitatis causa.

(116) Juxta Van der Stappen unctio frontis fit super sepulcrum, sed cur non intelligitur, id certe a rubricis non praescribitur. De celebratione Missae, ed. 2, pg. 40. Huiusmodi modus sepeliendi reliquias absolevit, et vix in praxi adhibetur.

(117) Exstat satis cognita responsio SRC, cum voto sancti Roberti Cardinalis Bellarmini, de iteranda consecratione cujusdam ecclesiae civitatis Ulysipponensis propter morosam reassumptionem ritus; de ea agit Benedictus XIV in epistola *Peracta* (§§ 16-17) tamquam objectione ad usum coadjutorum, et negative respondet.

(118) In appendice RR habentur formulae duae a SRC approbatae die 9 Septembris 1920. AAS 1920, pg. 449. In II vero ubi legitur canon *1200* § *2 nn. 1 et 2,* lege n. 2 tantum, nam si mensa enormiter frangatur fas non est formulam hanc adhibere. In benedictione aquae gregorianae verbum *Ecclesia* derutum fuit in exorcismo salis et in oratione finali; sed in exorcismo aquae, ubi bis dicitur relate ad ecclesiam consecrandam, relictum fuit. Praeterea rubrica in fine jubet coaptare tabulam et claudere sepulcrum, deinde dicere orationem, postea firmare tabulam : practice non invenimus differentiam inter primam et secundam operationem, nam si sepulcrum clauditur cum cemento, eo ipso firmatur. Vide notam 71.

(119) In consecratione ecclesiae vel altaris aqua gregoriana benedicitur pro aspersionibus ecclesiae et altaris; secundario vero pro conficienda maltha adhibetur, quia prae manibus habetur. In forma brevi, licet cementum benedicatur cum oratione *Summe Deus,* sicut in altaris consecratione, praecipitur ut aqua gregoriana ad hoc exclusive conficiatur. Sed si postea, data occasione, sepulcrum aperiatur, observationis causa, erit iterum cemento communi claudendum. Rubricarum contradictio !

SECTIO III

DE ALTARIUM PORTATILIUM CONSECRATIONE

SECTIO III

DE ALTARIUM PORTATILIUM CONSECRATIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

123 DE MINISTRO CONSECRATIONIS ARAE PORTATILIS

1 — Minister ordinarius consecrationis arae portatilis est quilibet episcopus consecratus, cum non sit ritus ordinario reservatus. CJC 1199 § 2.

2 — SRE cardinales, licet tantum in presbyteratus ordine constituti, possunt ubique aras portatiles consecrare. CJC 239, 20.°.

3 — Abbates et praelati nullius qui episcopali charactere carent, et benedictionem si eam recipere debent receperint, possunt, intra tantum limites sui territorii, aras portatiles consecrare ad usum ecclesiarum sui territorii; quod quidem privilegium est locale et personale. CJC 323 et 294, § 2.

4 — Vicarii et praefecti apostolici, qui charactere episcopali carent, possunt intra fines sui territorii ac perdurante munere, altaria portatilia consecrare. CJC 294 § 2.

5 — Abbates de regimine, vicarii capitulares, quibus aequiparantur a jure apostolici administratores dioecesium, abbatiae vel praelaturae nullius, nequeunt a jure aras portatiles consecrare; eis tamen aliquando tale conceditur indultum; attendendum est utrum privilegium sit personale an etiam locale.

6 — Omnes episcopi consecrare possunt aras portatiles, salvis tamen peculiaribus privilegiis (CJC 1199 § 2), nam multis in locis earum con-

secratio jure particulari regitur. Sic Romae consecratio jus est cardinalis archipresbyteri Ecclesiae Lateranensis vel episcopi ab eo delegati; aliis locis consecratio reservatur ordinario vel eius auxiliario et non raro intra redditus dioecesis computatur. Episcopi proinde extranei servare debent jus seu consuetudinem dioecesis in qua degunt, excipe consecrationem arae ad usum personalem quae omnibus licet.

CAPUT II

DE TEMPORE ET LOCO CONSECRATIONIS ARAE PORTATILIS

124 TEMPUS. Arae portatiles consecrari possunt quocumque die ad libitum pontificis, jejunio autem stomacho seu matutinis horis (120). In triduo maiori et in die commemorationis fidelium defunctorum tamen non expedit aras consecrare.

125 LOCUS. Arae portatiles consecrari possunt in ecclesiis seu oratoriis in quibus, finita consecratione, celebrari licet missa, utpote in loco sacrae functioni idoneo. Sed licet etiam aras consecrare in aliqua aula decenti, dummodo possit episcopus ibidem missae celebrationem permittere. Quod si locus sit decens sed ibi non liceret missa celebrari, etiam tunc liceret ibi aras consecrare, nam rubrica supponit celebrationem sacri super aram consecratam, sed non prohibetur quominus ara transportetur, finita consecratione, ad locum ubi licet missas celebrare; praeterea missae celebratio non est praeceptiva.

CAPUT III

126 DE PETRA CONSECRANDA

Petra sacra ex unico constet lapide naturali, integro et non friabili. CJC 1198; D 4032, II.

1 — Igitur non licet consecrare petram arte vel manufacta vel e concreto ut aiunt. Petra sit rectangularis, non vero quadrata, nec rotunda vel alterius formae; sit integra, dura et non friabilis et pollita per totum.

2 — Dimensiones a jure generali non determinantur, necesse tamen est ut sit ampla, ita ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat.

MR rub. gen. c. XX; CJC 1198 § 3. In quisbudam dioecesibus dimensiones minimae a jure particulari determinantur; sic Romae, juxta instructionem pro apostolica visitatione anni 1904, exigitur lapis 33 x 25 centimetrorum. ASS vol. 38, pg. 176 (121). Ut petra non sit friabilis habeat oportet tria centimetra in crassitudine

3 — Nec dantur dimensiones maximae. Juxta canonem 1197 petra altaris mobilis est ut plurimum parva, proinde non necessario parva. Necesse est tamen ut sit revera mobilis seu portatilis: sit ad maximum 40 x 30 centimetrorum.

4 — Non licet consecrare totam mensam altaris fixi ritu altaris portatilis, esset enim legem illudere et invalida consecratio, cum non sit ritus ab ecclesia probatus. CJC 1148 (122). Nam juxta mentem Ecclesiae petra sacra est altare mobile adhibendum illis in locis in quibus pro rerum adjunctis altaria fixa haberi nequeunt (123).

5 — Super aram sculpi debent quinque cruces ad unctiones recipiendas: in medio una et aliae prope quatuor angulos.

6 — In parte superiori petrae, in medio sed versus frontem, aderit parvum sepulcrum ad reliquias recipiendas. Quod quidem sepulcrum debet lapide vero et naturali claudi. CJC 1198 § 3; DD 3162, II; 3567, I (124). Sepulcrum in crassitudine petrae seu in fronte non amplius permittitur. DD 3671, I et II et 4032, III.

7 — Pro altaribus viatoribus petrae minores ex necessitate permittuntur, sed sint saltem 24 x 16 x 1½ centimetrorum.

CAPUT IV

127 DE CONLATA CONSECRATIONE PROBANDA ET DE PETRIS DUBIE CONSECRATIS VEL EXSECRATIS

1 — Consecratio arae portatilis probatur ipsa cementatione sepulcri et signis incensi super cruces cremati; sed solent episcopi apponere chartam subsignatam supra linteum, quo petrae cooperiuntur, in testimonium receptae consecrationis.

2 — Licet ordinario, per se vel per suum delegatum, operculum sepulcri aperire in dubium utrum reliquiae sepultae fuerunt, et iterum claudere cemento (CJC 1200 § 2, 2); benedictio cementi a jure non

requiritur. In dubium positivum, utrum petra sacra fuerit necne consecrata, debet iterum consecrari.

3 — Petra sacra amittit consecrationem:

a) Si sepulcrum violatum seu apertum fuerit.
b) Si ita confracta fuerit ut una e quinque crucibus ab alia separata venit.

4 — Si fractio sit parva, ita ut sepulcrum et cruces consecrationis intactae permaneant, ara sacra consecrationem non amittit; nec violatur sepulcrum levi fractione operculi, et quilibet sacerdos potest et debet rimulam cemento firmare. CJC 1200 § 3 (125).

5 — Petra exsecrata fractione, destruenda est et projicienda in sacrarium. Si vero exsecrata fuerit aperitione vel violatione sepulcri, debet iterum consecrari.

CAPUT V

128 DE EMPTIONE ET VENDITIONE ALTARIUM PORTATILIUM

In venditione petrae consecratae nulla ratio consecrationis in pretii aestimatione habeatur. CJC 1539 § 1.

1 — Cum necesse sit ut plures lapides consecrentur ut prae manibus sine mora habeantur, usu venit ut lapides sacri emi et vendi possint, in quo commercio ratio habenda est de valore petrae sine ulla aestimatione pretii ratione consecrationis. Non videtur tamen prohibitum, nec simoniaca labe inquinantur qui, ratione tituli extrinseci consecrationis, aliquid exigunt ut in multis dioecesibus in more est. Ordinarii loci erit determinare in quibusnam circumstantiis sacri lapides vendi debent vel emi.

2 — In observantioribus dioecesibus petrae consecratae habendae sunt tantum apud episcopalem curiam, usus certe laudandus; nam, abusus contra res sacras constituit conservatio, praesertim sine limitatione numeri, altarium consecratorum apud venditores seu tabernarios, quae opportune emenda erunt, pretio ab ipsis conveniendo.

TITULUS II

DE CONSECRATIONE LECTA ALTARIUM PORTATILIUM PUBLICE FACIENDA

CAPUT I

CLERUS CONSECRATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

129 ADERUNT:

Pontifex consecrator.
Capellani assistentes duo.
Magister caeremoniarum.
Clericus thuriferarius.
Minister de mitra.
Clerici duo ad abacum.
Clerici duo ad psalmos et antiphonas recitandas.

130 EPISCOPUS antiphonas incipit et clerici duo eas complent, adjectis psalmis, vel responsoriis.

131 CAPELLANI assistentes induti erunt superpelliceis, etiamsi sint canonici in sua dioecesi vel praelati, et oras pluvialis sustinebunt. 1mus. curat de mitra episcopi auferenda vel imponenda; 2us. sustinet candelam a sinistris episcopi quoties debet orationes vel praefationem legere, et, finita lectione, candelam prope legile deponit.

Dum fiunt unctiones, 1mus. fert vasculum olei et 2us. tabellam.

1mus. dicit *Flectamus genua* et 2us. *Levate*, et omnes, excepto episcopo, genuflectunt.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS IN AULA FUNCTIONIS

132 COLOR: albus

MENSA RECTANGULARIS super longitudinem, cooperta ex omni parte alba tobalea, super qua disponentur utrimque petrae consecrandae cum parte sepulcri ad extra.

Provideatur ut mensa sit sufficiens ad lapides recipiendos in duabus extremitatibus tantum, ut facile fieri possit earum consecratio, et ut possit exterius libere circumiri.

Ad pedes mensae aderit legile cum pontificali (pars II) et ad latus sinistrum candela.

Juxta unamquamque petram aderit operculum sepulcri.

FALDISTORIUM, sua veste coopertum, apponetur duos vel tres passus retro post mensam.

LEGILE hastatum cum pontificali, ad usum clericorum qui partes scholae recitabunt, ad latus sinistrum intrantis.

ABACUS ad latus dextrum intrantis, alba tobalea coopertus, super quo parentur :

PRO SACRIS UNCTIONIBUS :

Vascula duo cum sancto chrismate et oleo catechumenorum in lance.
Ampullae duae cum sancto chrismate et oleo cathechumenorum in lance.
Gossipium solutum in lance.
Vas ad gossipium reponendum post usum.
Tabella cum formulis consecratoriis.

AD CLAUDENDUM SEPULCRUM :

Cementum vel gypsum in catino.
Ligula cementarii argentea.
Catinus pro mixtione malthae.
Mappae crassae duae ad abstergenda sepulcra desuper.

AD THUS COMBURENDUM :

Cruces quinque e gossipio cerato cum quinque granis incensi sub qualibet pro unoquoque lapide consecrando.
Vasculum cum aqua lustrali et aspersorium.
Gossipia cerata ad cruces cereas accendendas.
Spatulae ligneae duae ad incensum eradendum cum catinis duobus in quibus recipientur residua.

PRO LOTIONE MANUUM EPISCOPI :

Urceus aqua plenus cum pelvi.
Mappae duae cum gremiali lineo in lance.
Medulla panis seu citreus in lance.

AD ABSTERGENDOS LAPIDES :

Pelvis cum mappis duabus ad abstergendos lapides post aspersiones, et duabus aliis ad illos abstergendos post unctionem totalem.

AD PEDES ABACI :

Pelvis ampla in qua projicientur sine mora aquae consecrationis, lotionum manuum et res sacris oleis pollutae, postea comburendae.

MENSA MINOR alba tobalea cooperta, ad sinistram intrantis super qua parentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE GREGORIANAE :

Vasculum aquae plenum.
Lanx cum cineribus trituratis et parvum cochlear.
Lanx cum cineribus trituratis.
Ampulla cum vino.
Hyssopum ex herbis virentibus.

MENSA ALTERA in capite aulae, alba tobalea cooperta, super qua aderunt candelabra duo cum candelis ardentibus et crux, quae a consecratore salutari possit.

In media mensa apponetur lanx argentea, velo rubro cooperta, cum reliquiis saltem duorum martyrum pergamenis distinctis, pro unoquoque lapide consecrando. Laudabiliter scribentur nomina martyrum super pergamenis.

Lanx cum tribus granis incensi pro unoquoque lapide.
Amictus; alba cum cingulo; stola et pluviale.
Mitra auriphrygiata vel alba simplex.
Velum pro mitrifero.

IN LOCO CONGRUO :

Thuribulum suo loco suspensum et navicula cum cochleari.
Superpellicea ad usum inservientium.
Pulvinar ad usum episcopi.

Vide diagramma XI.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

ART. I — LAPIDUM PURIFICATIO

133 (1ma. consecrationis pars)

Initium functionis

1 — Statuta hora clerici ministraturi, superpelliceis induti, exspectabunt episcopum ad aulam consecrationis.

Episcopus cum advenerit, dimittit mozetam vel manteletum et sacras induit vestes et accipit mitram.

Invitatio introductoria

2 — Pontifex se sistit ad legile ubi recitat invocationem introductoriam ad consecrationem *Deum Omnipotentem,* cum suis assistentibus utrimque.

Deus in adjutorium

3 — Magister caeremoniarum pulvinum ante legile ponit; capellanus 1us. nudabit episcopum mitra et 2us. candelam super mensam ponit.

Pontifex, genuflectens, manibus super mensam positis, dicit clara voce *Deus, in adjutorium meum intende.* Ministri respondent *Domine, ad adjuvandum me festina.*

Episcopus ipse solus dicit *Gloria Patri,* et respondent ministri *Sicut erat,* nec additur *Alleluia.*

Et eodem modo secundo et tertio repetitur voce semper altiore.

Ministri genuflectunt, assurgunt et caput inclinant simul cum pontifice.

Benedictio aquae gregorianae

4 — Dicto tertio *Gloria Patri,* caeremoniarius amovet pulvinum, et pontificale cum legili ac candela ad abacum aquae benedicendae portat.

Pontifex induitur mitra, et, cum suis capellanis, accedit ad mensam paratam, ubi submissa voce benedicit aquam gregorianam, more consueto, videlicet:

Exorcizato sale, deponit mitram pro ejus benedictione; deinde accipit iterum mitram et exorcizat aquam; dimissa iterum mitra, benedicit aquam; deinde cineres benedicit et facit trinam mixtionem salis

et cinerum, quam ter infundit in aquam; deinde benedicit vinum, quod ter infundit in aquam; deinde dicit orationem *Omnipotens sempiterne* ad complendam benedictionem aquae. Demum, accepta cochleari, aquam miscet.

❱ Omittendum erit verbum *Ecclesia* in exorcismis salis et aquae et in oratione finali, si benedictio aquae in ritu consecrationis ecclesiae legatur.

Unctio lapidum cum aqua gregoriana

5 — Episcopus, accepta mitra, pergit cum suis capellanis ante 1mum. lapidem ad latus dexterum. Caeremoniarium magister vasculum aquae benedictae 1mo. assistenti tradit et 2mo. dat tabellam cum formula consecratoria.

Pontifex ungit quinque cruces lapidis, ordine quo veniunt in figura, cum pollice dexterae manus et aqua gregoriana, repetens singulis vicibus formulam propriam (126).

Uncto primo lapide, pontifex procedit ad unctionem secundi, et sic deinceps usque ad ultimum; et, finitis unctionibus, manus tergit mappula et se sistit ante mediam mensam.

Cum pontifex incipit ungere lapides, caeremoniarius reponit legile cum pontificali et scotula ubi erant in initio.

Prima lapidum aspersio

6 — Caeremoniarius tradit 1mo. capellano aspersorium ex herbis virentibus et 2us. capellanus tabellam reddit caeremoniario.

Episcopus intonat antiphonam *Asperges me,* quam clerici prosequuntur cum septem primis versiculis ps. 50 *Miserere,* et incipit circuire mensam cum suis ministris ad dexteram suam, continuo aspergendo lapides omnes (127).

2.ª lapidum aspersio

7 — Cum pontifex pervenerit iterum ante legile, clerici de choro incipiunt septem alios versus *Miserere,* videlicet a versu *Asperges me;* et pontifex circuit mensam ad dexteram suam, iterum aspergendo lapides per circuitum.

3.ª lapidum aspersio

8 — Cum episcopus ante legile pervenerit, clerici de choro incipiunt versum 16um. *Libera me de sanguinibus* et perficiunt psalmum, sed sine *Gloria* et cum repetitione antiphonae in fine. Quae cum recitantur, praesul iterum circuit mensam tertio aspergendo lapides per circuitum.

Abstersio lapidum

9 — Pontifex iterum ante mediam mensam reversus, tradit hyssopum 1mo. capellano, et sedet ad faldistorium.

Capellani cum mappis, adjuvante caeremoniario, lapides abstergunt, dum episcopus quiescit aliquantulum.

134 ART. II — LAPIDUM CONSECRATIO ET RELIQUIARUM SEPULTURA

(2.ª consecrationis pars)

Oratio introductoria

1 — Episcopus, deposita mitra, assurgit et recitat orationem introductoriam ad unctiones *Deus qui es visibilium,* praemissis versibus *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum;* sedet et accipit mitram (128).

Trina incensatio lapidum

2 — Thuriferarius se praesentat et episcopus, 1mo. capellano ministrante, incensum ponit in thuribulo dicens *Ab illo benedicaris.* Tunc surgit, accipit thuribulum, inchoat antiphonam *Dirigatur,* quae a clericis de legili continuabitur, et circuit totam mensam ad dexteram suam, thurificans lapides consecrandos per modum unius. D 4031, I.

Ad locum suum reversus, pontifex denuo inchoat antiphonam *Dirigatur* et iterum circuit mensam, tabulas ut prius incensans.

Iterum in medium reversus, pontifex tertio intonat antiphonam *Dirigatur* et tertio circuit mensam thurificans tabulas.

Pontifex, reversus in medium ante mensam, thuribulum tradit directe clerico thuriferario ut ipse actionem suam prosequatur; qui, accepto thuribulo, circuit mensam dum fiunt unctiones, vel consistit ad angulum sinistrum thuribulum agitans.

1.ma unctio lapidum cum oleo

3 — Pontifex, ibidem stans cum mitra, inchoat antiphonam *Erexit Jacob,* quae a clericis ad legile continuabitur cum ps. 83 *Quam dilecta.*

❯ Si lapides plurimi consecrandi sint, antiphona repeti poterit inter singulos versus ne sine oratione prosequatur functio, quod observabitur etiam pro sequentibus unctionibus.

Caeremoniarius 1mo. capellano tradit vasculum cum oleo puerorum et 2do. capellano tabellam.

Inchoata antiphona, pontifex pergit ante primum lapidem et, intincto pollice in oleo, ungit, cum duplici unctione et triplice benedictione, quinque cruces 1mi. lapidis ordine quo veniunt in figura, recitans formulam propriam pro unaquaque cruce; deinde pergit ante 2am. tabulam et eam inungit sicut 1mam.; et sic facit deinceps usque ad ultimam, et revertitur in medium ante mensam, ubi digitos abstergit bombaceo.

4.ª incensatio lapidum per circuitum

4 — Thuriferarius se praesentat episcopo qui, ministrante 1mo. capellano naviculam, incensum ponit in thuribulo cum benedictione, et, accepto thuribulo, incipit antiphonam *Dirigatur,* quae complebitur a clericis ad legile, et circuit mensam thurificans lapides per modum unius.

Reversus ante mediam mensam et tradito thuribulo ministro, pontifex, nudato capite et praemissa ab assistentibus invitatione ad genuflectendum, recitat orationem *Adsit, Domine,* ad 1mam. altarium unctionem complendam.

2.ª unctio lapidum cum oleo

5 — Pontifex incipit antiphonam *Mane surgens Jacob,* quae continuabitur a clericis ad legile cum ps. 19 *Bonum est confiteri,* et facit 2am. unctionem lapidum ad quinque cruces cum sancto oleo, eodem ordine et cum eadem formula qua prius.

5.ª incensatio lapidum per circuitum

6 — Finita unctione ultimi lapidis, pontifex, imposito et benedicto incenso, incipit antiphonam *Dirigatur,* a clericis complendam et iterum circuit mensam lapides incensans.

Finita incensatione et reddito thuribulo, ac praemissa a capellanis invitatione ad genuflectendum, episcopus sine mitra recitat collectam *Adesto, Domine,* ad complendam 2am. unctionem.

Consecratio lapidum cum sancto chrismate

7 — Pontifex, accepta mitra, incipit antiphonam *Unxit te Deus,* quae a clericis continuabitur, adjecto psalmo 45 *Deus noster refugium et virtus.* Caeremoniarius tradit 1mo. capellano vasculum cum sancto chrismate et 2do. tabellam.

Pontifex cruces altarium inungit cum sancto chrismate cum eadem formula, eodemque ordine sicut fecit cum oleo, et omnia fiunt ut in n.º 3.

6.ª incensatio lapidum per circuitum

8 — Uncto ultimo lapide, pontifex, benedicto et imposito incenso, iterum incipit antiphonam *Dirigatur* et circuit mensam lapides uti prius incensans.

Finita incensatione et reddito thuribulo, episcopus, deposita mitra, praemissa a capellanis invitatione ad genuflectendum, recitat collectam *Exaudi nos,* ad unctionem complendam.

Unctio sepulcri

9 — Pontifex accipit mitram et caeremoniarius tradit 1mo. capellano vasculum sancti chrismatis et 2do. tabellam.

Pontifex intincto pollice in sancto chrismate, ungit sepulcrum 1mi. lapidis in medio intrinsecus cum duplici unctione et triplici benedictione, repetens formulam consecratoriam.

Deinde pergit ante 2am. petram, deinde ad alias usque ad ultimam, earum sepulcra ungens, et in fine digitos tergit gossipio. Caeremoniarius vasculum et tabellam ad abacum reponit.

❱ Dum unguntur sepulcra, caeremoniarius ad abacum praeparabit cementum cum aqua gregoriana, quod ante 1um. lapidem ponit cum ligula (129).

Reliquiarum sepultura

10 — Capellani pergunt ad reliquiarum mensam ubi 1mus. accipit lancem reliquiarum sine velo, et 2us. lancem cum granis incensi, et revertuntur ante 1mum. lapidem. Pontifex nudabitur mitra a caeremoniario, et, accedens ante 1mum. lapidem, reponit chartulam unam reliquiarum in sepulcro cum tribus granis incensi; cum ligula cementarii spargit cementum circa rimulam sepulcri, incipiens illud claudere et dimittit ligulam. D 3726, II.

Pontifex deinde pergit ante 2um. lapidem et reponit chartulam reliquiarum et incensum in sepulcro illius, et sic deinceps usque ad ultimum.

Caeremoniarius, claudit et firmat sepulcrum 1mi. lapidis, et sine mora claudit similiter sepulcra ceterorum lapidum.

Repositis reliquiis omnium lapidum, pontifex sedet ad faldistorium et pausatur aliquantulum.

Capellani adjuvabunt in claudendis sepulcris, si necesse sit, et deinde abstergent sepulcra desuper cum linteis.

Magister caeremoniarius attentus erit ut coopercula bene firmentur et quidem in plano cum altari.

Cum assistentes ad pontificem reversi fuerunt, ipse surgit et recitat orationem *Deus qui ex omnium,* ad reliquiarum sepulturam complendam (130).

Unctio totalis lapidum

11 — Caeremoniarius ampullas sancti chrismatis et olei puerorum ponit ante 1mum. lapidem.

Pontifex incipit antiphonam *Ecce odor* et, accepta mitra, pergit ante 1mum. lapidem.

Clerici ad legile inceptam antiphonam complebunt cum ps. 86 *Fundamenta ejus* sine *Gloria* et sine repetitione antiphonae in fine.

Pontifex, accipiens chrisma dextera manu et oleum sinistra, infundit insimul aliquantulum oleorum super lapides omnes per circuitum, incipiens a prima.

Infuso oleo super ultimo lapide, pontifex ampullas tradit caeremoniario et ad 1mum. lapidem revertitur.

Capellanus 1mus. accipit annulum episcopi et extremitatem manicae dexteri brachii ejus elevat. Pontifex deinde, dextera manu explicata, spargit, confricans, liniens et perungens olea sacra super 1mum. lapidem; deinde pergit ad 2um., et sic deinceps usque ad ultimum, et facit similiter super omnes.

Sedet antistes ad faldistorium et ministri de abaco accedunt pro lotione manuum more solito; caeremoniarius praesentat lancem cum medulla panis vel cum citreo ad manus episcopi confricandas ante lotionem.

Statio ante altaria

12 — Pontifex, lotis manibus, assurgit cum mitra et recitat invocationem *Lapides hos,* illos dextera benedicens. Deinde inchoat antiphonam *Aedificavit Moyses* quae a clericis complebitur. Statim pontifex recitat secundam invocationem *Dei Patris,* lapides iterum dextera benedicens, et ita concluditur statio ante altaria et eorum consecratio. Clericus thuriferarius recedit (131).

135 ART. III — RITUS AD CONSECRATIONEM COMPLENDAM

(3.ª consecrationis pars)

Benedictio incensi

1 — Caeremoniarius lancem cum incenso benedicendo subter cruces e gossipio cerato, super mensam ponit. Episcopus, deposita mitra et praemissis versibus *Domine, exaudi* et *Dominus vobiscum,* recitat orationem *Domine Deus omnipotens* ad incensum benedicendum, et, accepto hyssopo, incensum aspergit aqua lustrali et denuo induitur mitra.

Locatio incensi

2 — Pontifex, accipiens quinque cruces e gossipio cerato cum granis incensi, illas super quinque cruces 1mi. lapidis ponit et recedit ad faldistorium, ubi sedet. Capellani prosequuntur ponentes cruces cum incenso super cruces ceterorum lapidum per circuitum. D 4244, IV. Deinde cum gossipio cerato accendunt extremitates candelarum, adjuvante caeremoniario.

Crematio incensi

3 — Cereis ardentibus, caeremoniarius pulvinum retro post faldistorium locat et episcopus, deposita mitra, assurgit et genibus nititur, omnibus genuflectentibus. Capellanus 1mus. caput episcopi nudat pileolo, et ipse recitat *Alleluia.* Clerici ad legile recitabunt versum *Veni, Sancte Spiritus* cum duabus antiphonis *Ascendit fumus* et *Stetit angelus.*

❯ Si functio venerit post Septuagesimam *Alleluia* omittetur.

Post versum *Veni, Sancte Spiritus,* capellanus 1mus. pileolum capiti episcopi reponit, qui assurgit, omnibus surgentibus.

Pontifex ante legile recitat collectam *Horum altarium,* ad combustionem incensi complendam, et sedet.

Capellani exspectant aliquantulum quousque comburantur candelae, et deinde cum spatulis ligneis abradunt cineres combustionis in catinis, quos ad abaçum reportant.

Praefatio consecratoria

4 — Pontifex assurgit sine mitra et recitat orationem *Supplices tibi* introductoriam ad praefationem; deinde legit praefationem clara voce sine cantu, extensis manibus ante pectus; junctis manibus et submissa voce recitat conclusionem.

Lapidum confirmatio

5 — Finita praefatione, pontifex incipit antiphonam *Confirma hoc, Deus* quae a clericis complebitur. Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinabunt cruci ad caput aulae, et, repetita antiphona, pontifex recitat orationem *Quaesumus, omnipotens Deus.*

Incensatio finalis

6 — Thuriferarius se praesentat coram episcopo, qui, accepta prius mitra, incensum imponit thuribulo cum benedictione. Pontifex accedit ante 1mum. lapidem, et, accepto thuribulo, incipit antiphonam *Omnis terra* et facit super eum crucem in medio cum thuribulo quasi lapidem incensans; deinde pergit ante 2um., et sic usque ad ultimum, faciens super singulos crucem unam cum thuribulo.

Finita incensatione et iterum ante legile reversus, pontifex tradit thuribulum 1mo. capellano, hic thuriferario et, deposita mitra, recitat collectam *Descendat quaesumus,* ad altarium consecrationem complendam.

Pontifex, ad faldistorium reversus, sacras dimittit vestes et induit mozetam seu manteletum, et recedit in pace.

❯ Finita consecratione, altaria mappulis lineis exterguntur a ministris et linteis mundis reconduntur ad eorum nitorem et inviolabilitatem melius conservandam.

136 ART. IV — DE MISSA FINITA CONSECRATIONE

Finita consecratione, laudabiliter celebrabitur missa ab aliquo sacerdote super unum lapidem nuper consecratum, vel in ipso loco ubi consecratio facta est, si ibi a jure licet celebrare, vel in aliquo oratorio.

Missa nullo gaudet liturgico privilegio. Dicitur missa *Terribilis* cum oratione propria pro consecratione altarium si missae votivae communes eo die permittantur. *Gloria* et *Credo* omittuntur et dicuntur tres orationes, vel fiunt commemorationes occurrentes juxta rubricas. Si vero missae votivae privatae prohibentur, missa dicitur de officio diei, sine oratione propria altaris (132).

137 ART. V — REGULAE SERVANDAE SI CONSECRATIO SIT PRIVATA

1 — Pontifex utetur stola circa collum. Vide tomum I, n.º *35.*

2 — Aderunt capellani duo qui etiam inserviunt manuum lotioni et abstersionibus altaris, et aliis muneribus necessariis.

3 — Si clerici qui partem scholae recitent non adsint, episcopus ipse recitabit cum capellanis antiphonas, versus et psalmum *Miserere;* psalmi unctionum vero, videlicet 83, 91, 45 et 86, cum suis antiphonis, omittuntur (133).

Parentur in sacrario quae necessaria sunt pro missa lecta celebranda, finita consecratione, si dicatur.

❯ De defectibus occurrentibus tempore consecrationis, confer quae dicta sunt de consecratione altarium fixorum.

138 ART. VI — DE CONSECRATIONE UNIUS LAPIDIS

1 — Orationes omnes dicuntur in singulari.

2 — Pontifex ter circuit mensam, ubi tabula posita est, aspergens eam, et ter circuit incensans ad 1mum. *Dirigatur*, et semel pro incensationibus quae fiunt post unctiones.

3 — Pontifex ipse cementare et claudere debet sepulcrum. D 3726, II. Propria manu etiam cruces cum incenso cremando super tabulam locat.

Cetera fiunt ut supra.

TITULUS III

FORMULA BREVIS CONSECRATIONIS ALTARIUM PORTATILIUM

CAPUT I

PRAENOTANDA

139 Exstat, a Sacrorum Rituum Congregatione edita, formula brevis pro altaribus portatilibus consecrandis. Ritus compositus fuit pro casibus de iteratione consecrationis propter sepulcrum violatum, sed conceditur etiam aliquando in regionibus missionum vel tempore belli seu persecutionum pro aris tum primum consecrandis; attamen non est pars juris communis, sicut formulae breves pro consecrandis altaribus immobilibus exsecratis, et ad eam adhibendam necessarium est indultum apostolicum (134).

Indultum conceditur vel simpliciter vel pro iteratione consecrationis altarium exsecratorum, et aliquando etiam cum potestate delegandi abbatem vel sacerdotem in ecclesiastica dignitate constitutum ad consecrationem peragendam.

Casus iterationis consecrationis pro quibus formula brevis conceditur sunt:

a) Si sepulcrum positum fuit in crassitudine lapidis, in quo casu violandum est, et lapis iterum consecrandus cum sepulcro in superficie. D 4032, III;

b) Si sepulcrum clausum fuit cum cemento tantum, aperiendum est, ut lapide claudatur. D 3585, III (135);

c) Si operculum sepulcri firmum non invenitur et positive dubitatur num amotum fuerit. D 3575, X;

d) Si sepulcrum de facto violatum fuit.

CAPUT II

140 ORDO SERVANDUS

1 — Pontifex induit stolam super rochetum, vel super superpelliceum; praelatus delegatus induit stolam super superpelliceum. Mitra non erit adhibenda et functio fit privatim. Vide tomum I, no. 35.

2 — Lapides consecrandi praeparantur super mensam oblongam et omnia necessaria uti in titulo II huius sectionis.

3 — Antistes incipit absolute a benedictione aquae gregorianae cum formula communi, inde ab exorcismo salis, usque ad orationem finalem *Omnipotens... creator et conservator* inclusive (136).

4 — Benedicta aqua, consecrator dicit alternatim cum suis ministris antiphonam *Asperges me* cum ps. 50 *Miserere,* sine *Gloria* et cum repetitione antiphonae in fine. Dum dicitur psalmus, consecrator semel tantum aspergit lapides omnes singulariter per totum cum hyssopo de herbis virentibus, circuiens mensam. Aspersione expleta, lapides absterguntur pannis lineis.

5 — Consecrator facit unctiones tabularum ad quinque cruces cum oleo puerorum, adhibita formula PR sed omissa parte scholae et semel tantum.

6 — Deinde consecrator facit unctiones tabularum ad quinque cruces cum sancto chrismate et formula consueta. Pars scholae pariter omittitur.


7 — Consecrator ungit sepulcra lapidum cum sancto chrismate et formula PR; recondit reliquias cum tribus granis incensi, et claudit sepulcra cum maltha facta ex aqua gregoriana. In claudendis sepulcris proceditur ut in formula PR.

8 — Sepultis reliquiis et clausis sepulcris, consecrator recitat orationem *Deus qui ex omnium* ad complendum ritum sepulturae, et statim adjungit collectam *Descendat quaesumus,* quae habetur in fine ritus PR, ad totam formulam complendam.

❯ Cetera omittuntur et missae celebratio non praescribitur.

TABELLA PRO CONSECRATIONE ALTARIUM PORTATILIUM

Dum episcopus facit unctiones quinque cum aqua gregoriana super quinque cruces lapidis, cum duplici unctione et triplici benedictione toties quoties dicit:



SANCTI ✠ FICETUR ET CONSE ✠ CRETUR HAEC TABULA
IN NOMINE PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI

PAX TIBI

❯ Haec formula repetenda erit dum episcopus facit unctiones quinque cum oleo catechumenorum super quinque cruces lapidis, cum duplici unctione et triplici benedictione, semel et iterum, ac pro unctionibus cum sancto chrismate.

Episcopus inungit semel sepulcrum in medio intrinsecus cum sancto chrismate cum duplici unctione et triplici benedictione dicens:

CONSE ✠ CRETUR ET SANCTI ✠ FICETUR HOC SEPULCRUM
IN NOMINE PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI

PAX HUIC DOMUI

❯ Tabella haec inservit etiam pro consecratione altarium portatilium cum formula brevi.

NOTAE AD SECTIONEM III

(120) Verba PR "jejuno autem stomacho" se referunt potius ad tempus consecrationis quam ad jejunium proprium ut ait Martinucci (vol. 4, pg. 315), nisi episcopus velit ipse post consecrationem celebrare. Nam si jejunium non praescribitur in die consecrationis ecclesiae vel altaris fixi, a fortiori in die consecrationis arae portatilis.

(121) Sanctus Carolus Cardinalis Borromeus dimensiones 20 x 16 unciarum pro aris portatilibus statuit, id est 36 x 29 centimetrorum, dimensiones romanae vero sufficiunt. AEM tom. 1, col. 320.

(122) Proinde corrigenda doctrina a Bliley et a Schulte tradita de liceitate consecrationis mensae fixae ritu arae portatilis, quae nullo firmatur argumento; si legislator rem non prohibet explicitis verbis, id necessarium non supponit, secus inutilis esset totus ritus consecrationis altaris PR. Bliley, Altars, Washington 1927, pg. 107; Schulte, Consecranda, New York 1908, pg. 269. Vide notam 24.

(123) Juxta CJC 1197 altare mobile vocatur tum petra sacra, tum stipes, cum vel sine retabulo e ligno aliave materia constructo, in quo ponitur petra consecrata. Agimus tantum de ipsa petra sacra.

(124) Cum SRC declaraverit (D 3779, IV) altaria portatilia, quorum opercula ex metallo confecta fuerunt, non amisisse consecrationem, concludit a Coronata (de locis sacris pg. 106) opercula sepulcrorum tum altarium portatilium tum fixorum esse posse ex metallo, contra expressam legem CJC 1198 § 4, et DD 3532, 1; 3567, 1.

(125) Nulla exstat formula brevis in casu servanda; D 3504, II, jubet ut episcopus ipse rimulam firmet cum cemento benedicto; sed juxta CJC quilibet sacerdos id facere potest, et benedictio aquae gregorianae ad faciendam maltham non requiritur; quod benedictionem cementi vide notam 129 infra. Id valet etiam si sepulcrum ab ordinario aperiatur observationis causa, nam iterum clauditur cemento communi.

(126) In ritu consecrationis ecclesiae vel altaris fixi ad unctiones cum aqua gregoriana dicitur tantum *sanctificetur;* in ritu pro aris portatilibus vero formula consecratoria pro sacris oleis praescribitur adhibenda etiam pro aqua gregoriana.

(127) Rubricae 2ae. partis PR supponunt consecrationem unius lapidis tantum in aliqua mensa positi, qui potest ab episcopo circumiri. Rubricae vero appendicis positae fuerunt in numero plurali sine ulla mutatione. Sic v.g. rubrica de

aspersionibus facit pontificem aspergere primam tabulam per circuitum tribus vicibus, deinde alias similiter. Patet vero episcopum non posse unamquamque tabulam seorsum ter circumire, cum omnes super eandam mensam positae sint. Licet aspersio fiat per modum unius, singuli lapides toties quoties aspergi debent. Juxta decretum 4031, I, incensationes fiunt per circuitum ad modum unius, aspersiones vero singulariter, ter tamen. Distinctio haec difficultatem in praxi praesefert, propter expositam rationem.

(128) Oratio *Deus qui es visibilium* ponitur hic ad unctiones cum sacris oleis introducendas et bene quidem, dicit enim *et quae sacrato oleo et chrismate a nobis indignis est linienda;* est enim optimus introitus ad consecrationem cum sacris oleis. In ritu consecrationis altaris fixi vero, haec oratio cum suis versibus ponitur uti pars complementaris aspersionum et ante ritum sepulturae, cum quo nihil habet commune; in ritu consecrationis altaris una cum ecclesia oratio haec omittitur.

(129) Oratio *Summe Deus,* qua in ritu consecrationis altaris fixi benedicitur cementum, omissa fuit in consecratione altaris portatilis, et SRC interrogata respondit servari debere PR. D 3567. Postea vero iterum quaesita, respondit cementum debere benedici uti fit in ritu altaris fixi. D 3726, I. In forma brevi pro consecratione arae portatilis benedictio cementi omissa fuit; e contra invenies eam in forma brevi pro consecratione altaris fixi violati.

(130) Usus sepeliendi reliquias etiam in ara itinerarii (sicuti vocabantur huiusmodi altaria portatilia, ex eo quod non erant in ecclesiis adhibenda) antiquissimus est et Romae semper fiebat. (Andrieu tome I, pg. 198; tome II, pg. 446). Durandus ritum consecrationis altaris fixi ad portatilia extendit, paucis deletis sed reliquiarum sepultura prorsus eliminata. Ibidem, tome III, pg. 498. PR ordinem Durandi conservavit adamussim, sed reliquiarum sepulturam adjecit ante unctionem integralem mensae, seu in medio unctionum et non *ante* unctiones, sicut fit in consecratione altaris fixi.

Utrum reliquiarum sepultura esset necne pars essentialis ad valorem consecrationis inter antiquos canonistas ambigebatur. Suarez (disp. II de Euch. sect. 5), De Lugo (disp. 24 de Euch. sect. 2, n.° 75) aliique, dicebant reliquiarum sepulturam non esse de essentia consecrationis sed requiri ex praecepto Ecclesiae. Quodquidem comprobatur ex eo quod aliquando concedebatur indultum in locis missionum consecrandi altaria portatilia, omissa reliquiarum sepultura, vel celebrandi super altare consecratum sine reliquiis; ita concessum fuit Brasiliae episcopis. Cft. *Brasilia Pontificia,* Ulyssiponi 1758, lib. IV, n.° 233 pg. 392. Tale indultum tamen non amplius conceditur, nec ullo modo licet altaria portatilia consecrare sine reliquiis, non tam ex ipsa essentia consecrationis, quam ex positivo praecepto Ecclesiae. CJC 1198, § 3. Vide notam 27.

(131) Rubricae de consecratione altarium portatilium sunt incompletae et episcopi Sacram Congregationem pluries adire debuere. Sic, inter alia, nescis utrum adesse debeat presbyter thuriferarius cum rubricae de ipso taceant, licet loquantur semel de eo quando de ultima incensatione altaris per circuitum. Tamen in PR saeculi XII legis "sine intermissione fiat incensatio, donec ipsius altaris (itinerarii) consecratio perficiatur". Andrieu tome I, pg. 198. Tacent etiam rubricae de modo sepeliendi reliquias et claudendi sepulcrum, de incenso ponendo et benedicendo, et id genus plurima; nolunt enim repetere quae dicta fuerunt quando de consecratione altaris fixi egerunt. Rubricarum silentium supplere debemus declarationibus SRC et rubricis de consecratione altaris fixi. Sic v.g. docuimus episcopum cementum praeparare cum aqua gregoriana ut in consecratione arae fixae. Praeterea ritus PR dat caeremoniam in singulari cum notis musicis, licet consecratio vix unquam fiat in singulari, et nusquam solemniter cum cantu et sacris ministris, cum sit potius ritus privatim celebrandus sine populi concursu. Observa etiam differentiam incensationis ad *Omnis terrae,* quae in consecratione altaris fixi fit sine mitra, forsan quia tunc altare vestitum est et crux apposita.

(132) Juxta rubricam finalem celebranda est missa, et quidem de dedicatione, super unum altare e neo consecratis. Non videtur tamen agi de stricto praecepto, sicut in consecratione altaris fixi. Nam caeremonia est privata et non solemnis, et non requiritur a PR ut fiat in aliquo oratorio ubi missam celebrare licet. *Altaris portatilis consecratio potest fieri quocumque loco* (PR). Juxta Castaldum missa celebrabitur *si* videbitur (Praxis caeremoniarum pg. 319, Venetiis, 1681) et Durandus dicit *Si velit dicit missam.* Andrieu tome III, pg. 504.

Praeterea si in loco ubi altare portatile consecratum fuerit adesset altare fixum, videtur saltem inutilis, ne dicam absurdum, apponere altare portatile super altari fixo consecrato ad celebrandum. Amplius, rubricae novissimae MR loquuntur de missa dicenda post consecrationem altaris fixi tantum. Verba PR *missa dicitur ut in ipsa die dedicationis altaris* quaestionem de natura huius Missae non solvunt, certe non est ad instar votivae pro re gravi censenda.

(133) In ritu consecrationis arae portatilis invenies partem pontificis et partem scholae, est enim ritus consecrationis altaris fixi, cum quibusdam tamen forcipibus; consecratio solemnis cum cantu, prout in PR habetur et in libro Durandi legitur, ni fallimur, nunquam fit, et in functione lecta auctores quid facere debeant cum parte scholae nesciunt; earum recitatio ab assistentibus confusionem gignit, nam intenti esse debent consecratori; nec potest episcopus unctiones facere et psalmos recitare. Exoptare licet ut in definitiva recensione PR quaestio haec solvatur modo ab ipso PR statuto pro antiphona *Introibo* cum ps. 42 dum fiunt unctiones cum aqua gregoriana, quem quidem modum servandum esse tempore unctionum opinamur: omissio psalmi cum sua antiphona, si nullus adsit qui psalmos recitare possit.

(134) Formula brevis consecrationis arae portatilis non facile conceditur; in facultatibus quinquennalibus, quae locorum ordinariis dari solent, in privilegiis SCFP vicariis apostolicis datis, et intra facultates nuntiorum non adnumeratur. Concessa tamen fuit tempore secundi Europaeici belli, et quidem non sine causa: sic mense Maii 1940 Dnus. Neveu, administrator apostolicus *Moscae,* 4,550 lapides Parisiis sacravit. Frustra tamen! Casus certe fuit adhibendi formulam brevem. AAS 1939, pg. 711.

(135) Formula brevissima, de qua loquitur D 3585, III, res fuit singularis exempli.

(136) In formula approbata, et typis vaticanis impressa, verbum *Ecclesia* demptum fuit in exorcismo salis et in oratione finali, sed bis legitur in exorcismo aquae. Identitas erroris cum formula brevi consecrationis altaris fixi violati probabiliter evenit ex eo quod una ab alia transcripta fuit.

SECTIO IV

DE SOLEMNI COEMETERIORUM BENEDICTIONE

SECTIO IV

DE SOLEMNI COEMETERIORUM BENEDICTIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA (137)

CAPUT I

DE MINISTRO ET DE TEMPORE BENEDICTIONIS

141 1 — MINISTER benedictionis solemnis coemeterii est episcopus ordinarius loci in quo coemeterium reperitur. CJC 1156. Si ordinarius loci non sit charactere episcopali praeditus, deputare potest episcopum quem velit ad coemeterium benedicendum.

2 — S.R.E. Cardinales, etiamsi non sint episcopi, possunt coemeteria solemniter benedicere, servatis servandis, juxta ritum PR. CJC 239, § 1, n.º 20.

3 — Abbates vel praelati nullius, recepta benedictione si eam recipere debent, benedicere possunt coemeteria ritu PR, quia consecrare possunt ecclesias, intra dumtaxat proprium territorium. CJC 323, § 3.

4 — Abbates benedicti, si gaudent indulto apostolico, possunt coemeteria ordinis propria benedicere ritu PR, de venia tamen ordinarii loci quasi episcopi extranei.

5 — Superior maior religionis clericalis exemptae benedicere potest coemeterium ordinis proprium, sed ritu RR. CJC 1156. Si velit benedictionem ritu PR pro coemeterio ordinis sui, invitare debet episcopum loci ordinarium, vel, ipso renuente, alium episcopum, de licentia tamen ordinarii, propter usum pontificalium et solemnitatem ritus. CJC 337, § 1, et 1157. Leo Papa X, *Dum intra,* 19 Dec. 1516.

6 — Praefecti, vicarii, vel administratores apostolici, qui non sint episcopali charactere insigniti, in benedictione coemeteriorum sequi debent ritum RR, nam benedictio solemnis coemeterii regitur eodem jure ac consecratio ecclesiae. Many, De locis sacris, pg. 244.

142 TEMPUS. Benedictio coemeterii fieri potest quocumque die extra triduum sacrum. Convenientius fit horis antemeridianis ut possit postea celebrari missa in oratorio coemeterii, sed, rationabili de causa, benedictio fieri potest etiam post meridiem.

CAPUT II

DE OBLIGATIONE BENEDICENDI COEMETERIA ET DE REQUISITIS EX PARTE EORUM

143 1 — Vetusto ecclesiae jure, fideles sepeliri debent in loco sacro, ab infidelibus seu haereticis distincto. Locus fit sacer solemni benedictione PR vel etiam simplici benedictione RR. CJC 1205, § 1. Benedictio est constitutiva sanctitatis loci et strictae obligationis (138).

2 — Non distinguitur in jure in quibus casibus danda sit benedictio solemnis PR, in quibus simplex RR. Frequentius coemeteria benedicuntur simplici tantum benedictione diversis de causis; optandum tamen ut saltem coemeteria principaliora seu majora solemniter ab episcopo benedicantur, etiamsi jam fuerunt simplici benedictione a presbytero dicata. Pro minoribus coemeteriis, uti ordinis vel religiosae aut privatae familiae, benedictio RR sufficit.

3 — Benedici tantum possunt ac debent coemeteria ad corpora fidelium sepelienda, qui in communione Ecclesiae dormierunt, remoto periculo saltem proximo violationis.

4 — In locis ubi Ecclesiae jura violantur, licebit partem aliquam civilis coemeterii sejungere ad usum tantum fidelium, et in hoc casu pars illa coemeterii benedicenda erit benedictione simplici RR.

5 — Recentissime tamen permisit Ecclesia ut in locis ubi ejus jura a civili auctoritate violantur, sed ubi pars maior populi ex catholicis constat, coemeteria civilia solemniter benedicantur. His in casibus coemeteria habentur uti catholica, nec violantur sepultura infidelium vel excommunicatorum, ex tolerantia Ecclesiae ad majora mala vitanda. CJC 1206, § 2.

6 — In coemeterio habeatur locus segregatus, minime benedicendus, ad sepelienda cadavera infantium qui sine baptismo e vita exierunt, et alius locus ad sepelienda cadavera infidelium vel excommunicatorum, extra ambitum loci sacri.

7 — In ipso coemeterio benedicendo habeatur, quantum fieri poterit, locus segregatus pro sepultura sacerdotum vel clericorum, et alius pro sepultura infantium. CJC 1209, §§ 2 et 3.

8 — Locus benedicendus sit decens et, quantum fieri poterit, a squaloribus saeculi segregatus. Sit undique apte clausum et caute custoditum. CJC 1210 (139).

9 — Cruces ligneae apponendae pro solemni benedictione sunt natura sua transitoriae, nec praescribitur a rubricis ut in perpetuum imponentur humi; amoveri proinde debent die sequenti benedictioni; nam cruces non benedicuntur et benedictio haeret loco. Expedit tamen ut, finita benedictione, in medio ubi posita fuit crux maior lignea, aedificetur alia crux lapidea ornata et peralta, ad cujus basim sculpetur nomen episcopi qui coemeterium dedicavit cum die dedicationis et alia digna ad perpetuam rei memoriam.

10 — Arcenda sunt a coemeteriis benedictis monumenta pomposa, profana vel pagana, epitaphia et laudationes funebres, christianae fidei et humilitati prorsus aliena, ad mentem canonis 1211 CJC.

11 — Si pars aliqua nova addetur coemeterio jam solemniter benedicto, pars nova benedicenda erit simplici benedictione RR, nec sufficit simplex annexatio; nam benedictio non se extendit ad locum qui fuit antea profanis usibus destinatum. Coemeterium tamen notabiliter ampliatum, vel noviter exstructum, iterum benedicatur solemniter ritu PR. Conc. Pl. Brasiliense, 1939, n.º 334.

12 — De peracta benedictione redigatur documentum, cujus alterum exemplar in curia episcopali, alterum in archivo ecclesiae ad quam pertinet coemeterium, servetur. CJC 1158.

TITULUS II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE COEMETERII

CAPUT I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

144 ADERUNT :

Pontifex.
Sacri ministri.
Caeremoniarius.
Ministri quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula.
Ministri tres pro cruce et intortitiis.
Ministri duo pro thuribulo et aqua lustrali.
Cantores quatuor seu schola.
Viri duo ad scabellum gradatum transportandum.

145 PONTIFEX utitur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius; cantat in tono simplici seu feriali orationes omnes et praefationem, ac in tono consueto tres invocationes litaniarum et benedictionem finalem.

SACRI MINISTRI inserviunt in albis et sequuntur regulas generales pro benedictione primarii lapidis ecclesiae traditas.

CANTORES, dum fiunt aspersiones agri, cantabunt septem psalmos paenitentiales, incipientes a ps. 50, in cujus fine dicitur *Gloria Patri* et repetitur antiphona; alii sex psalmi cantantur tono in directo sine antiphona et sine doxologia finali (140).

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : albus.

146 PRIDIE FUNCTIONEM apponentur in coemeterio quinque cruces ligneae : quatuor altitudinis duorum metrorum et una duorum cum dimidio vel trium metrorum. Maior locetur in medio coemeterio et quatuor minores ad quatuor oras, ita ut 1ma. sit ad introitum coemeterii ; 2da. in postica parte loci ; 3.ª et 4.ª in linea cum cruce maiori. In summitate et in extremitatibus brachiorum quinque crucium apponenda erunt receptacula sive clavi pro candelis.

Parentur etiam lignea receptacula quinque in forma litterae T, pro ternis candelis, quae in terra ante unamquamque crucem finguntur, ad candelas accensas in initio functionis recipiendas.

℟ Provideatur ut coemeterium possit interius libere circumiri.

147 QUATUOR PASSUS ANTE CRUCEM MAIOREM :

STRATUM LIGNEUM ET DESUPER :

Faldistorium sua veste coopertum cum pulvino super tapeto.
Scabella duo utrimque pro sacris ministris.

A SINISTRIS CRUCIS MAIORIS :

Abacus alba tobalea coopertus super quo parentur :

PRO EPISCOPO :

Amictus ; alba cum cingulo ; stola et pluviale, serico velo cooperta ; mitra auriphrygiata ; formale si celebret ordinarius.
Pontificale.
Scotula cum candela.
Vela duo pro mitra et baculo.
Tabella indulgentiarum.
Gossipia cerata ad accendendas candelas ad cruces.
Canon pontificalis pro benedictione finali.

PROPE ABACUM :

Baculus pastoralis.
Crux processionalis cum intortitiis duobus.

A DEXTRIS CRUCIS MAIORIS :

Mensa minor alba tobalea cooperta, super qua ponentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE LUSTRALIS :

Vas amplum aqua plenum.
Sal in lance cum parvo cochleari.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Concha ad hauriendam aquam.
Aspersorium ex herbis virentibus.
Manutergium.

PROPE CRUCEM MAIOREM :

Scamna pro clero assistenti.

PROPE CRUCEM PRIMAM :

Scabellum gradatum, quo pontifex possit candelas ad cruces fingere; aderunt hastae duae ad illud facile transportandum.

SUPER QUINQUE LIGNA T ANTE CRUCES :

Candelae tres dimidiae librae.

IN LOCO VESTITIONIS :

Mensa oblonga, super qua parentur :

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo ; albae duae cum cingulis ; stola diaconalis ; bireta duo.

PRO CANTORIBUS ET CLERO :

Superpellicea et libri parvuli cum ritu benedictionis.

SUO LOCO SUSPENSUM :

Thuribulum ardens et navicula cum incenso.

IN ORATORIO COEMETERII VEL IN ECCLESIA VICINA aderunt quae necessaria sunt pro missa solemni, si celebranda erit, et tabella cum orationibus pontificalis intra missale ponenda.

Vide diagramma XII.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

148 ART. I — PRAEPARATIO

Vestitio cleri

1 — Hora praestituta sacri ministri induunt se sacris vestibus et inservientes superpelliceis.

Sacri ministri cum biretis pergunt ante crucem maiorem et sedunt ad scabella ad latus faldistorii, exspectantes adventum episcopi.

Adventus episcopi

2 — Clerus assistens ac inserviens obviam ibit pontifici ad januam coemeterii.

Pontifex, suo habitu praelatitio indutus, ibit ad faldistorium sequente clero; cum eo pervenerit, sacri ministri assurgunt et ei debitam faciunt reverentiam, et sedet pontifex facie ad ostium versa.

Vestitio episcopi

3 — Pontifex, depositis vestibus choralibus, induitur sacris a diacono, adjuvante subdiacono, et accipit mitram.

Clerici de cruce et intorticiis se sistunt ante crucem maiorem facie ad episcopum versa et clerici thuribuli, aquae et insignium ad abacum; cantores stabunt post crucem ligneam facie ad episcopum versa.

❯ Si prope coemeterium aderit oratorium aut ecclesia vel aula nobilis, ibidem fiat vestitio episcopi, et in hoc casu vestes ejus et baculus, crux cum intorticiis, pontificale et candela, ac vestes ministrorum et cleri, erunt ibi paranda; ibique episcopus exspectetur a clero et a sacris ministris paratis, et procedit processionaliter ad crucem maiorem coemeterii ubi sedet ad faldistorium ut supra.

❯ Si celebrans sit metropolita, procedit ad locum vestitionis cum crucifero, qui, deposita cappa seu *crocea*, induit superpelliceum dum episcopus sacras induit vestes.

Sermo episcopi

4 — Episcopus sedens habebit orationem ad clerum et populum de sanctitate et libertate coemeterii, et, eo finito, jubebit accendi cereos quindecim ante cruces.

149 ART. II — LITANIAE CUM ASPERSIONE

Oratio introductoria

1 — Ministri de libro et scotula ante faldistorium, tergo ad crucem verso, se sistunt.

Pontifex, deposita mitra, assurgit, ad crucem se vertit, et cantat orationem introductoriam *Omnipotens Deus, qui es custos animarum.*

Litaniae

2 — Pontifex, accepta mitra, genua flectit super pulvinum ante faldistorium, omnibus genuflectentibus, excepto crucifero cum ceroferariis. Librifer pontificale super faldistorium ponit et recedit ad abacum cum candelifero. Cantores duo, flexis genibus in medio retro post episcopum, cantant litanias, omnibus respondentibus, usque ad versum *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive. Diagramma XIII.

Dum dicitur versus supra, ministri de libro (accepto pontificale a faldistorio) et scotula se sistunt ubi erant prius; episcopus assurgit cum suis ministris, et accepto sinistra baculo, non se vertens, canit invocationes tres, dextera coemeterium benedicens quoties dicit *benedicere, sanctificare* vel *consecrare,* omnibus respondentibus.

Quibus finitis, pontifex reddit baculum, genuflectit cum suis ministris, librifer et candelifer recedunt ut prius, et a cantoribus complentur litaniae.

Benedictio aquae lustralis

3 — Finitis litaniis, assurgunt omnes et episcopus, accepto baculo, procedit cum suis ministris ad mensam aquae benedicendae. Crucifer cum ceroferariis se sistit facie ad episcopum versa et ministri de libro et scotula a sinistris ejus.

Pontifex clara voce sine cantu aquam benedicit; advertens ut habeat mitram in capite et baculum in manu dum dicit exorcismos salis et aquae, et ut deponat baculum et mitram pro orationibus et mixtione. Benedictione finita, episcopus digitos abstergit manutergio a diacono porrecto et clericus de aqua implet vasculum aqua lustrali et sumit hyssopum.

Iter ad 1.am crucem

4 — Pontifex accipit mitram et baculum et omnes procedunt, quo sequitur ordine, ad ostium coemeterii ante crucem primam :

Crucifer cum ceroferariis.
Cantores bini.
Minister de aqua lustrali.
Caeremoniarius.
Pontifex medius inter sacros ministros, oras pluvialis tenentes.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et scotula.

› Clerus assistens ac familiares episcopi suis remanent locis.

Aspersio coemeterii

5 — Cum pervenerit ante crucem, crucifer cum ceroferariis se sistit tergo ad eam verso; ministri de libro et scotula se praesentant et pontifex, reddito baculo et deposita mitra, intonat antiphonam *Asperges me* quae a cantoribus complebitur.

Episcopus a diacono induitur mitra et accipit hyssopum; deinde, incipiens a dextris suis, aspergit coemeterium totum per circuitum nihil dicens et ad locum initii revertitur (141). Praeibit crucifer cum ceroferariis, deinde cantores bini psalmum *Miserere* modulantes; clericus de aqua procedit a dextris diaconi et ministri insignium ibunt post episcopum. Vide diagramma XIII.

› Cantores attenti erunt ut cantus *Miserere* finiatur cum pontifex reversus fuerit ante 1mam. crucem.

Cum pervenerit pontifex ante crucem, omnes se sistunt ut prius, et diaconus recipit hyssopum de manu episcopi. Cantores cantant *Gloria Patri,* ad quod omnes caput cruci hastatae inclinant, et antiphonam repetunt.

› Incepto circuitu coemeterii, thuriferarius sumit thuribulum cum navicula thuris et se sistit prope crucem primam.

ART. III — RITUS ANTE CRUCES MINORES

150 I — ANTE CRUCEM PRIMAM

Oratio ante crucem

1 — Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, deposita mitra, cantat orationem *Deus, qui es totius orbis conditor,* et ministri de libro et scotula recedunt.

Crucis incensatio

2 — Crucifer cum ceroferariis ad sinistram crucis recedit; thuriferarius se praesentat et episcopus, ministrante diacono, incensum thuribulo imponit cum benedictione, eoque accepto, thurificat crucem cum tribus ductibus duplicibus, facta ante et post capitis inclinatione, et reddit thuribulum diacono, hic thuriferario (142).

Locatio candelarum

3 — Scabellum ante crucem locatur et pontifex illud ascendit cum diacono. Caeremoniarius diacono tradit candelam unam accensam et hic episcopo, qui eam in summitate crucis fingit; deinde tradit aliam quam in brachio dextro crucis ponit, postea tradit tertiam candelam, quam episcopus in brachio sinistro crucis fingit; descendit in planum cum diacono, a quo mitra induitur (143).

Iter ad 2.am crucem

4 — Pontifex accipit hyssopum a diacono et caeremoniarius ordinat ministros et cantores, eodem ordine quo venerunt, thuriferario locum sumente ante crucem; omnes procedunt directe ad 2am. crucem in extremitate coemeterii retro post crucem maiorem. Interim cantores cantabunt ps. 6 *Domine ne in furore tuo* et ps. 31 *Beati quorum remissae sunt,* sine *Gloria.*

Pontifex coemeterium per viam aspergit nihil dicens, pausatim vero, ut detur tempus cantoribus.

› Viri deputati scabellum gradatum prope crucem 2am. transportabunt.

151 II — ANTE CRUCEM SECUNDAM

Oratio ante crucem

1 — Cum pervenerint ante crucem, crucifer cum ceroferariis se sistit tergo ad eam verso, ministri de libro et candela ante cruciferum, cantores ad dexteram crucis, et pontifex, reddito hyssopo diacono et dempta mitra, cantat orationem *Domine sancte... trina Majestas et una Deitas,* et recedunt ministri libri et scotulae.

Crucis incensatio

2 — Proceditur in omnibus ut de prima cruce dictum est.

Locatio candelarum 3 — Proceditur in omnibus ut de prima cruce dictum est.

Iter ad 3.am crucem 4 — Pontifex accipit hyssopum a diacono et omnes procedunt, ordine quo venerunt, ad 3am. crucem ad sinistram intrantis.

Interim cantores modulabuntur ps. 37 *Domine ne in furore tuo,* dum pontifex aspergit percursum aqua lustrali.

❯ Scabellum transportabitur prope 3am. crucem.

152 III — ANTE CRUCEM TERTIAM

Oratio ante crucem 1 — Cum pervenerint ante crucem, omnes loca sua sumunt ut prius, et episcopus reddit hyssopum. Finito psalmo, pontifex, deposita mitra, cantat orationem *Domine Deus, Pastor aeternae gloriae.*

Crucis incensatio 2 — Proceditur in omnibus ut in incensatione 1mae. crucis.

Locatio candelarum 3 — Proceditur in omnibus prout de 1ma. cruce dictum est.

Iter ad 4.am crucem 4 — Pontifex accipit hyssopum a diacono et, ordine quo venerunt, procedunt omnes ad 4am. crucem ad dexteram intrantis. Interim cantores cantant ps. 101 *Domine exaudi,* et pontifex aspergit coemeterium in percursu.

❯ Viri ad id deputati scabellum portabunt prope 4am. crucem.

153 IV — ANTE CRUCEM QUARTAM

Oratio ante crucem 1 — Ante crucem cum pervenerint, omnes ad loca sua redeunt ut prius, et episcopus reddito hyssopo ac deposita mitra, et psalmo expedito, cantat orationem *Domine Jesu Christe.*

Crucis incensatio 2 — Proceditur in omnibus ut in incensatione 1mae. crucis.

Locatio candelarum 3 — Proceditur in omnibus prout de prima cruce dictum est.

Iter ad 5.am crucem 4 — Pontifex accipit hyssopum a diacono et, ordine quo venerunt, procedunt omnes ad crucem 5am. seu maiorem; interim cantores cantabunt psalmos 129 *De profundis* et 142 *Domine exaudi,* et coemeterium per viam a pontifice aspergitur.

❯ Scabellum portabitur prope crucem maiorem.

154 ART. IV — RITUS ANTE CRUCEM MAIOREM

Oratio cum praefatione 1 — Cum ad crucem maiorem pervenerint, crucifer cum ceroferariis se sistit tergo ad eam verso et ministri de libro et scotula ante cruciferum, cantores se sistunt retro post crucem.

Pontifex ad faldistorium cum advenerit, reddito hyssopo et finitis psalmis, mitram deponit et cantat orationem *Adesto quaesumus.* Cum dicit *Per omnia saecula,* manus extendit ante pectus et sic canit praefationem. Cum dicit *Per eundem Dominum nostrum* episcopus manus jungit ante pectus et submissa voce dicit conclusionem et recedunt ministri libri et scotulae. Diagramma XIII.

Crucis incensatio 2 — Proceditur in omnibus prout de 1ma. cruce factum fuit.

Locatio candelarum 3 — Proceditur in omnibus prout de 1ma. cruce habetur, sed episcopus mitram non induit.

Oratio ad complendum 4 — Episcopus ante faldistorium revertitur et crucifer cum ceroferariis et ministri de libro et scotula se sistunt ante eum, qui, praemissa a sacris ministris invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Domine sancte... locorum omnium sanctificator,* ad complendam benedictionem, et induitur mitra.

Benedictio solemnis 5 — Crucifer cum ceroferariis recedit prope abacum, et episcopus, non se vertens (librifer cum canone et candelifer se sistunt coram eo), solemniter benedicit populo dicens cum cantu *Sit nomen Domini benedictum.*

❯ Si celebrans sit metropolita crux cum intorticiis non recedit pro benedictione, et ipse non accipit mitram in fine ultimae orationis.

Indulgentiae

6 — Pontifex sedet ad faldistorium et magister caeremoniarum diacono tradit tabellam indulgentiarum ab eo legendam, si celebret ordinarius, metropolita, vel SRE cardinalis.

Pontifex sacras vestes deponit

7 — Pontifex, ministrante diacono et adjuvante subdiacono, sacras deponit vestes; deinde sacri ministri, acceptis biretis et facta pontifici debita reverentia, recedunt ad loca ubi sacras vestes induerunt. Caeremoniarius seu familiaris episcopi ei vestem choralem reponit.

Pontifex, facta brevi oratione, recedit, sequente clero, usque ad ostium, et discedit in pace; clerus superpellicea deponit in loco ubi ea receperunt.

❯ Candelae ad cruces ardebunt usque ad finem seu per diem benedictionis.

❯ Si pontifex vestes sacras accepit in aliquo oratorio, processionaliter ad illud revertitur finita benedictione, et omnes vestes sacras ibidem deponunt.

❯ Si celebrans sit abbas vel praelatus nullius omnia fiunt ut supra, benedictione finali omissa. Tamen praelatus qui non sit abbas benedictus non utitur baculo.

155 ART. V — DE MISSA CELEBRANDA

Juxta PR, finita benedictione coemeterii, celebranda erit missa in ecclesia vicina. Rubrica supponit usum maiorum sepultandi fideles prope ecclesiam paroecialem; hodie tamen generatim coemeteria construuntur ab ecclesiis longius, et in his casibus missa erit omittenda. Si tamen intra coemeterium habeatur oratorium, uti laudabilis mos est multis in locis, expedit ut benedicatur ante benedictionem coemeterii, ita ut in eo celebrari liceat missa benedictione coemeterii expleta. D 3888 ad 4.

Missa nullo gaudet liturgico privilegio; dicitur proinde missa ut in calendario diei, adjecta, sub unica conclusione cum oratione missae, oratione pro benedictione coemeterii ut in PR habetur, quod servabitur etiam si benedictio coemeterii fit in die commemorationis defunctorum.

Pontifex missae laudabiliter assistit solito more.

CAPUT IV

156 DE BENEDICTIONE LECTA COEMETERII

Benedictio coemeterii PR est ritus solemnis, cum cantu et sacris ministris peragendus; gravi tamen de causa aliquando fieri potest sine cantu, quo sequitur modo.

1 — Pontifex induitur sacris vestibus prout si officium esset in cantu, non exclusa alba et pluviali, et recitat clara voce omnia quae in functione solemni cantat etiam praefationem.

2 — Loco sacrorum ministrorum aderunt capellani duo cum superpelliceis, exclusis vestibus choralibus, qui omnia, quae sacrorum ministrorum sunt, faciunt.

3 — Aderunt clerici duo, loco cantorum, qui recitant clara voce psalmos paenitentiales, et, retro post episcopum genuflexi, dicunt litanias sine cantu, caeteris respondentibus, nisi recitentur ab episcopo cum suis capellanis.

Cetera fiunt ut in functione cum cantu.

NOTAE AD SECTIONEM IV

(137) Ecclesiarum et altarium consecratione expleta, statim agit pontificale de coemeteriis benedicendis; nam ecclesiae et coemeteria loca sacra sunt, quae eodem reguntur jure, et antiquitus unaquaeque ecclesia paroecialis suum habebat coemeterium vicinum. Etiam CJC post canones de ecclesiis et altaribus agit de coemeteriis. In ritu visitationis paroeciae exstat reliquia coemeterii juxta ecclesiam aedificati. Vide notam 124 tomi III.

(138) A nonnullis canonistis, v.g. Many (De locis sacris, pg. 241), benedictio solemnis coemeterii vocatur consecratio, et benedictio simplex dicitur simpliciter benedictio. In jure tamen, praesertim post codicem, ritus in quibus unctiones adhibentur consecrationes vocantur. Praeterea in PR et RR, et in CJC (1205 § 1), agitur de benedictione coemeterii et non de consecratione. Tamen in prima collecta PR dicitur ...*consecretur hoc coemeterium,* et in litaniis legitur ...*consecrare digneris.*

(139) De coemeterio haec habet Concilium Plenarium Americae Latinae: "Locus sit amplus, siccus ...omnibusque qualitatibus hygienicis praeditus, insuper non nimis dissitus ...ut a fidelibus visitari queat. ...Sit undique septis firmis munitum, valvisque instructum". CPAL nn. 916, 917.

(140) Diximus psalmos omnes cani debere a cantoribus, et ita etiam docent MM et LVH; nam nequit pontifex, coemeterium percurrens aspersioni intentus, recitare psalmos paenitentiales, nec tenetur eos memoriter habere vel librum in manu gestare. Ritus melius evolvitur si cantores modulantur psalmos sicut fecerunt pro *Miserere.* Latet enim ratio cur ps. 50 fieri debeat cum cantu et ceteri sine cantu; agitur enim de septem psalmis paenitentialibus recitandis, sed cum psalmo 50 in primo loco prout statuit Durandus. Putamus nos sequi plus rubricarum spiritum quam litteram in casu.

(141) Juxta MM, pontifex coemeterium lustrans habebit sinistra baculum, dextera hyssopum. Solemnis esset talis aspersio, sed practice difficilis, nec a rubricis praescribitur, potius videtur liturgicis regulis aliena, nec ullo modo figuris pontificalibus appositis approbatur. Vide PR anni 1520 vel 1572. Alcuin Club, Pontifical Services, vol. IV, pg. 47; editio PR Benedicti XIII.

(142) Non videtur cur pontifex debeat cruces adolere sine mitra. In incensatione ad cruces consecrationis ecclesiae et in incensationibus altaris pontifex retinet mitram, quae, juxta regulas Patrizi, deponenda est tantum quando pontifex se dirigit directe ad Deum. Praescribit etiam rubrica ut episcopus deponat mitram ad inchoan-

dam antiphonam *Asperges me*. In utroque casu sequuti sumus rubricas, quousque aliud declaretur. In figuris PR anni 1520 videri est episcopus infulatus cruces incensans. o.c. pg. 49. Vide notas 72 et 77.

(143) Melius intelligitur crucis incensatio postquam candelae in ea locatae fuerunt, sicut docent figurae multis pontificalibus appositae (o.c. pg. 49 et 51) et Durandus, qui dicit *thurificat... figens.* Andrieu tome III, pg. 509. Standum rubricis tamen, et crucis incensatio fiat antequam locentur cerei.

SECTIO V

DE ECCLESIARUM SEU COEMETERIORUM RECONCILIATIONE

SECTIO V

DE ECCLESIARUM SEU COEMETERIORUM RECONCILIATIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA

CAPUT I

157 DE VIOLATIONE ET RECONCILIATIONE ECCLESIAE VEL COEMETERII

1 — Ecclesia vel coemeterium violatur seu polluitur quibusdam maioribus criminibus aut peccatis, sunt enim :

1) Delicto homicidii, etiam sine sanguinis effusione;
2) Injuriosa non accidentali, et gravi non levi, humani sanguinis effusione;
3) Impiis vel sordidis usibus, quibus locus sacer addictus fuerit;
4) Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

2 — Necesse est actus violatorios esse certos et non dubios; notorios et non secretos, licet tardius tantum notorii evenerint; in ipsa ecclesia positos et non in ipsius dependentiis seu annexis. CJC 1172 § 1.

3 — Violatio ecclesiae non secumfert violationem coemeterii annexi, nec violatio coemeterii secumfert violationem ecclesiae annexae seu oratorii in coemeterio locati. CJC 1172 § 2 (144).

4 — Violatio ecclesiae habetur in oppositione ad exsecrationem ipsius; nam exsecratione ecclesia totaliter amittit suam consecrationem; violatione vero amittit consecrationem partialiter tantum et ad tempus, quousque reconcilietur.

5 — Agitur insimul de ecclesia et coemeterio, quia eodem jure reguntur violationes horum locorum sacrorum, et antiquitus coemeteria habebantur uti pars ecclesiae cui annexa erant.

6 — Non agitur in jure de violatione altaris consecrati, quia si altare consecratum violetur, eo ipso violatur ecclesia, sive sit consecrata sive tantum solemniter benedicta; et reconciliatur altare ipsa reconciliatione ecclesiae, cauto tamen quod altare violatum speciali modo erit aspergendum.

7 — Agitur tantum hic de reconciliatione ecclesiae consecratae vel coemeterii solemniter benedicti ritu PR. Pro reconciliatione ecclesiae vel coemeterii benedicti ritu RR confer RR.

8 — Ecclesiae vel coemeterium violatum reconcilietur quam citissime cum ibi prohibeatur divina celebrare officia, dedecet enim. CJC 1174, § 1.

9 — Violatio loci sacri, utpote res odiosa, est strictae interpretationis; in dubium tamen reconciliari possunt ad cautelam, audito loci ordinario. CJC 1174 § 2.

10 — A jure non determinantur quinam sint usus impii seu sordidi, sed agitur de usibus, non de actibus. Ab ordinario determinandum erit in singulis casibus utrum usus fuerint necne impii seu sordidi. Statio militum certe erit inter usus sordidos computanda.

11 — Verba juris *sepultura infidelium* non includunt filios non baptizatos christianorum, nec haereticos qui non fuerunt sententia paenali excommunicati, ut qui in haeresi nascuntur, sunt enim strictae interpretationis. CJC 1172 § 1, 4.°.

CAPUT II

DE MINISTRO ET DE TEMPORE RECONCILIATIONIS ECCLESIAE VEL COEMETERII

158 MINISTER. 1 — Minister ordinarius reconciliationis ecclesiae consecratae seu coemeterii benedicti idem est ac minister ordinarius consecrationis vel benedictionis eorum, seu qui potest ecclesiam consecrare potest eam reconciliare. Proinde probabilius invalide reconciliaret locum sacrum qui eum invalide consecraret, est enim plus quam simplex benedictio. CJC 1176 § 2.

2 — Loci ordinarius, vel superior maior religionis clericalis, potest jure communi delegare simplicem sacerdotem ad reconciliandam ecclesiam consecratam vel coemeterium benedictum solemniter sui territorii vel suae religionis, etiam extra casum gravis necessitatis. CJC 1176 § 2.

3 — In casu gravis et urgentis necessitatis, si ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae ex speciali juris delegatione eandem reconciliare fas est, certiore facto postea ordinario. CJC 1176 § 3.

4 — Sed etiam post codicem reconciliatio ecclesiae consecratae manet ritus ordinis pontificalis, qui, quantum fieri poterit, peragi debet solemniter ab episcopo, saltem in solemnioribus casibus; nam reconciliatio est satisfactio quaedam Deo et hominibus data contra nefanda crimina commissa; quanto pejus fuit crimen, eo solemnior fieri debet reconciliatio (145).

159 TEMPUS. Ecclesiae vel coemeterii reconciliatio quocumque die fieri potest, excepta Feria Sexta Maiori, in qua non convenit id facere.

Reconciliatio ecclesiae facienda est horis antemeridianis ut possit, facta reconciliatione, in ea celebrari missa. Reconciliatio coemeterii fieri potest horis ante vel postmeridianis.

CAPUT III

160 DE FACIENDIS IN ECCLESIA VEL COEMETERIO CUM VIOLATUM FUERIT

1 — In ecclesia violata, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrare officia, sacramenta ministrare, mortuos sepelire. CJC 1173 § 1 (146).

2 — Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent, si ante missae canonem vel post communionem, missa dimittatur. CJC 1173 § 2.

3 — Si violatio fit incepto canone, sacerdos missam prosequitur, sed usque ad communionem tantum. CJC 1173 § 2.

4 — Non licet in coemeterio violato mortuos sepelire antequam reconcilietur, quia eodem jure ac ecclesiae reguntur.

5 — Ecclesia violata ob sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri possit. CJC 1175. Judex de gravi incommodo est loci ordinarius. Quod quidem etiam coemeteriis applicatur. CJC 1207, 1242.

6 — Post violationem claudenda est ecclesia et ornamentis praesertim altarium nudanda; si adest ss. Sacramentum, removendum erit ad aliam ecclesiam seu locum vicinum; fontes aquae lustralis siccandi erunt, nec licebit campanas pulsare; ecclesia totaliter mundabitur praesertim ubi accidit violatio.

TITULUS II

DE SOLEMNI RECONCILIATIONE ECCLESIAE CONSECRATAE

CAPUT I

CLERUS FUNCTIONIS ET REGULAE SERVANDAE

161 ADERUNT:

Pontifex reconciliator.

Sacri ministri.

Caeremoniarum magistri duo.

Clerici quatuor pro mitra, baculo, pontificali et scotula.

Clerici tres pro cruce et intortitiis.

Clerici duo ad abacum.

Cantores saltem quatuor.

Sacristae duo.

162 SERVENTUR REGULAE GENERALES pro aliis functionibus huius secundae partis PR datae, videlicet: sacri ministri non utuntur dalmaticis; diaconus ponit et aufert mitram; episcopus utitur baculo etiamsi non sit loci ordinarius.

Ante functionem ecclesia clausa erit, et post ingressum cleri ad litanias denuo ab ostiariis claudetur, et aperietur finita praefatione, et tunc tantum populo patefiat.

› Vide diagrammata pro ecclesiarum consecratione.

CAPUT II

163 DE PRAEPARANDIS

COLOR { Pro reconciliatione : albus.
Pro missa : missae celebrandae.

ART. I — IN SACRARIO

PRO EPISCOPO :

Sedes cameralis super tapeto.

Amictus ; alba cum cingulo ; stola et pluviale ; quae albo velo cooperiuntur ; formale si celebret ordinarius ; mitra auriphrygiata ; baculus pastoralis ; vela duo pro mitra et baculo.

Pontificale.

Scotula cum candela.

PRO SACRIS MINISTRIS :

Amictus duo ; albae duae cum cingulis ; stola diaconalis ; bireta duo.

PRO CLERO ET CANTORIBUS :

Superpellicea et libri rituales cum musicis notis.

PRO CRUCIFERO ET CEROFERARIIS :

Crux hastata.
Intortitia duo, exclusis candelabris.

PRO MISSA SOLEMNI :

Quae necessaria sunt juxta caeremoniale.

164 ART. II — AD INTROITUM ECCLESIAE

EXTRA JANUAM ad dexteram intrantis : mensa alba tobalea cooperta super qua parentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE LUSTRALIS :

Vas amplum aqua plenum.
Sal in lance cum parvo cochleari.

Vasculum aquae lustralis.
Aspersorium ex herbis virentibus.
Manutergium in lance.
Cochlear ad hauriendam aquam.

165 ART. III — INTRA ECCLESIAM

ALTARE erit nudum.

IN MEDIO PRESBYTERIO :

Faldistorium alba veste coopertum super tapeto cum pulvino.

AD LATUS EPISTOLAE mensa alba tobalea cooperta, super qua parentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE GREGORIANAE :

Vas amplum aqua plenum.
Sal in lance cum parvo cochleari.
Cineres in lance cum parvo cochleari.
Vinum in ampulla.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Cochlear ad hauriendam aquam.
Manutergium in lance.

PRO MISSA SOLEMNI :

Omnia quae necessaria sunt juxta caeremoniale ; canon pontificalis pro benedictione solemni : chartula cum orationibus pontificalis missali annexandis.

AD VESTIENDUM ALTARE :

Tobaleae tres ; antependium ; candelabra sex cum cruce ; tapetum gradibus extendendum, quae omnia ponentur seorsum usque ad reconciliationis finem.

❯ Altaria lateralia, si quae sunt, nuda erunt et ornamenta ipsorum prope ipsa ponentur.

❯ Provideatur ut ecclesia possit ad extra et ad intus libere circumiri.

❯ Loca polluta, et speciali modo aspergenda, libera erunt et signis distinctis cum gypso aliave materia signata.

❯ Aqua lustralis benedicenda erit copia sufficienti pro fontibus ecclesiae et usu fidelium.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS (147)

166 ART. I — PRAEPARATIO AD FUNCTIONEM

Praeparatio ministrorum

1 — Hora competenti sacri ministri induunt se vestibus sacris et clerici assumunt superpellicea.

Episcopi adventus

2 — Episcopus, habitu praelatitio proprio indutus, sine solemnitatibus ad januam sacrarii vel ecclesiae recipietur. Ad ejus adventum minime sonabunt aera turris nec ei dabitur aspersorium.

Episcopus pergit ad sacrarium vel ubi parare se debet et, salutata cruce, vel si sit metropolita, cruce sua, sedebit ad sedem cameralem.

Sacri ministri cum biretis in manibus, se praesentant et, debita reverentia facta pontifici, se sistunt utrimque.

Vestitio episcopi

3 — Caeremoniarius 2us. vestes pontificis distribuit clericis inservientibus, et praeses, depositis vestibus choralibus, induitur sacris a diacono, adjuvante subdiacono, sueto more.

❯ Si celebret metropolita crucifer, deposita cappa, induit superpelliceum.

Iter ad januam ecclesiae

4 — Cum paratus erit episcopus, crucifer cum cruce et clerici duo cum intortitiis locum sumunt ad introitum sacrarii seu aulae.

Caeremoniarii ordinabunt processionem ad januam principalem ecclesiae quo sequitur ordine :

Crucifer medius inter ceroferarios.
Cantores bini.
Clerus functioni assistens.
Clerici de abaco.

Pontifex cum sacris ministris oras pluvialis ejus tenentibus.
Ministri de mitra et baculo.
Ministri de libro et scotula.
Familiares episcopi.

Pontifex, accepto baculo, crucem hastatam salutat et omnes procedunt, per viam exteriorem, ad januam principalem ecclesiae.

167 ART. II — ASPERSIONES AD EXTRA ET LITANIAE

Benedictio aquae lustralis

1 — Pontifex pergit cum suis ministris ad mensam; crux cum intorticiis erit facie ad episcopum; ministri de libro et scotula se sistunt ad sinistrum latus ante pontificem, qui de mitra et baculo se sistunt retro post eum; ceteri in ordine.

Pontifex clara voce sine cantu benedicit aquam lustralem, advertens ut habeat mitram in capite et baculum in manu dum facit exorcismos salis et aquae, quae quidem deponit pro orationibus et pro mixtione. In fine digitos abstergit manutergio a diacono porrecto.

Clericus 1us. de abaco vasculum implet aqua benedicta, et cum vasculo et hyssopo se sistit a dextris diaconi.

Aspersio per circuitum

2 — Pontifex cum suis ministris se sistit ante januam ecclesiae, cum crucifero et ceroferariis coram se, tergo ad eam verso; ministri de libro et scotula inter eos stant. Pontifex intonat antiphonam *Asperges me*, quae a cantoribus completur, et induitur mitra a diacono, a quo etiam accipit hyssopum.

Caeremoniarii ordinabunt processionem per circuitum ecclesiae, eodem ordine quo venerunt, a dextris incipiens.

Dum fit circuitus, pontifex aspergit parietes ecclesiae nihil dicens, et a cantoribus, alternatim cum clero, cantatur psalmus *Miserere*, cum *Gloria*, et repetitione antiphonae in fine (148). Advertant cantores ut cantus finiatur cum processio ante fores ecclesiae reverterit.

Cum pervenerint iterum ante januam, omnes loca sua sumunt ut in initio aspersionis, et pontifex, reddito hyssopo et deposita mitra, canit orationem *Omnipotens... qui sacerdotibus tuis*, ad complendam aspersionem.

Introitus in ecclesiam

3 — Pontifex cantat collectam *Aufer a nobis*, praeparatoriam ad introitum in ecclesia, interposita a sacris ministris invitatione ad genuflectendum.

Ostiarii januam ecclesiae aperiunt.

Caeremoniarii ordinabunt processionem ad presbyterium, ordine consueto, et praeses, acceptis mitra et baculo, locum suum sumit in processione.

☽ Cum processio in ecclesiam intrat, sacristae mensam aquae lustralis amovent et hyssopum ad mensam aquae gregorianae portant.

Litaniae

4 — Ordinata processione, cantores duo post crucem litanias incipiunt, clero universo respondente, sine duplicatione.

Cum pervenit ante altare maius, crucifer cum ceroferariis se sistit in planum ante gradus altaris, facie ad episcopum versa.

Clerus loca sua sumit in choro; pontifex, reddito baculo, genua flectit super pulvinum ad faldistorium cum sacris ministris utrimque, omnibus genuflectentibus; minister de libro pontificale super faldistorium ponit et recedit cum candelifero; ministri de mitra et baculo genua retro post eum flectunt; ministri de abaco ad illum se conferunt.

Cantores duo nixi genibus in medio presbyterio prosequuntur litanias usque ad versum *Ut omnibus fidelibus defunctis* inclusive.

Versu hoc cantato, surgit pontifex cum suis ministris; ministri de libro et scotula se praesentant, et episcopus, accepto baculo, non se vertens, cantat invocationes tres quae hoc loco in pontificali habentur, omittens verba *ac coemeterium.* Clerus respondet more solito.

Pontifex, reddito baculo ministro, flectit iterum genua cum suis ministris; pontificale super faldistorium reponitur, recedunt ministri libri et scotulae, et cantores litanias complent.

Finitis litaniis, surgunt omnes, et episcopus, deposita mitra et praemissa a sacris ministris invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Deus qui peccati veteris* ad litanias complendas.

168 ART. III — ASPERSIONES INTRA ECCLESIAM

Deus in adjutorium

1 — Pontifex, manibus faldistorio appositis et flectens genua, cantat in tono simplici *Deus, in adjutorium meum intende* et assurgit.

Clerus respondet *Domine, ad adjuvandum me festina.*

Pontifex caput profunde inclinans cantat ipse solus *Gloria Patri.*

Clerus respondent *Sicut erat* sine *Alleluia.*

Supplicatio haec repetenda erit secundo et tertio, voce ad dimidium toni quoties elata. Clerus genuflectit, assurgit, caput inclinat, una cum episcopo.

Benedictio aquae gregorianae

2 — Crucifer cum ceroferariis locum sumit retro post mensam aquae gregorianae, ad quam pontifex, induta mitra et accepto baculo, pergit cum suis ministris; ministri de libro et scotula se sistunt ad sinistram episcopi.

Pontifex more sueto benedicit aquam gregorianam, clara voce sine cantu: exorcizato sale, mitram et baculum deponit, quae iterum assumit pro exorcismo aquae; qua exorcizata, iterum deponit mitram et reddit baculum. Diaconus porrigit episcopo manutergium cum opus fuerit. Recitata oratione *Omnipotens... creator et conservator*, pontifex induitur mitra et, accepta cochleari, aquam miscet.

Clericus 1us. de abaco vasculum implet aqua benedicta et cum eo et hyssopo virenti, se sistit a dextris diaconi.

1.ma aspersio parietum

3 — Pontifex, praecedente cruce cum ceroferariis, ibit ad posticam altaris maioris partem cum suis ministris et clerico de aqua; ibique intonat antiphonam *Exsurgat Deus*, pro qua se praesentabunt ministri de libro et scotula, si necesse sit.

Pontifex, accepto hyssopo, incipit circuiri ecclesiam a dextera manu, parietes aspergens in parte superiori nihil dicens. Crucifer cum ceroferariis praecedunt episcopum in circuitu, et cantores locum sumunt inter crucem et episcopum.

Cantores inceptam antiphonam complebunt, deinde cantabunt ps. 67 inde a versu *In ecclesiis* usque ad versum *Manda Deus virtuti tuae.* Post unumquemque versum repetunt antiphonam, si ecclesia sit magna.

Cantores attenti erunt ut cantus antiphonae post ultimum versum absolvatur cum finita fuerit parietum aspersio.

Dum episcopus parietes aspergit, ministri insignium et clerus in presbyterio remanent.

Incepta aspersione, sacristae faldistorium et tapetum e medio presbyterio amovent.

2.ª Aspersio parietum

4 — Finita 1ma. aspersione et in mediam absidem reversus, episcopus incipit 2am. parietum aspersionem uti fecit 1mam., sed parietes ad basim aspergit.

Dum fit circuitus, cantores cantabunt quatuor sequentes versus psalmi, videlicet a versu *A templo sancto tuo* usque ad versum *Regna terrae, cantate Deo,* cum repetitione antiphonae post singulos versus, si necesse sit.

Aspersio pavimenti

5 — Parietum aspersione peracta et denuo in mediam absidem reversus, episcopus ecclesiam circuit pavimentum aspergens.

Dum fit circuitus cantores cantant tres ultimos versus ps. 67 cum repetitione antiphonae post singulos versus, si necesse sit.

❯ Pontifex cum circuit ecclesiam aspergit speciali modo loca contaminata. Quod si tota ecclesia conversa fuit ad usus profanos, pontifex, finito circuitu, spargit aquam per totum pavimentum: incipiens e medio presbyterio, procedit usque ad januam principalem, pavimentum a dextris et a sinistris aspergens. Si ecclesia sit in forma crucis constructa. episcopus aspergit etiam brachia crucis a dextero ad sinistrum angulum.

Finita aspersione pavimenti, pontifex reddit hyssopum diacono et ad presbyterium revertitur.

❯ Si altare maius vel altaria lateralia polluta fuerunt, debent speciali modo aspergi et purificari.

Praefatio reconciliatoria

6 — Pontifex in medio presbyterio se sistit, crucem cum intorticiis habens ante se. Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, deposita mitra, cantat invocationem introductoriam *Deum indultorem criminum.* Cum dicit *regnat Deus* exuitur mitra, et, extensis manibus ante pectus, cantat in tono feriali praefationem reconciliatoriam ecclesiae. Cum dicit *Per Dominum nostrum* manus jungit et submissa voce legit conclusionem.

169 ART. IV — RITUS FINALES

Statio 1.ª ante altare

1 — Finita praefatione, pontifex accipit mitram et cum suis ministris se sistit ante altaris gradus, ubi inchoat antiphonam *Introibo,* pro qua se

praesentant ministri de libro et scotula, si necesse sit. Crucifer cum ceroferariis se sistit in gradu, tergo ad altare verso.

Cantores inceptam antiphonam complebunt, adjecto ps. 42 *Judica me,* in cujus fine, omisso *Gloria Patri,* repetitur antiphona.

Dum antiphona repetitur, ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, deposita mitra et praemissa a sacris ministris invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Deus qui in omni loco.*

Statio 2.ª ante altare

2 — Pontifex intonat antiphonam *Confirma hoc, Deus* et induitur mitra. Cantores inceptam antiphonam complebunt et cantabunt integrum psalmum 67 *Exsurgat Deus,* cum *Gloria Patri* in fine sed sine repetitione antiphonae (149).

Dum psalmus cantatur pontifex stabit ibidem ad altare versus.

Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinant; ad *Sicut erat* ministri de libro et scotula se praesentant et pontifex, deposita mitra, cantat orationem *Deus, qui ecclesiam tuam* ad complendam stationem.

❯ Si magis placet, praesertim in minoribus ecclesiis, finita praefatione, caeremoniarius 2us. legile cum pontificali aperto in media mensa altaris locat, et episcopus in suppedaneo antiphonas inchoat, psalmos sequitur, orationes canit. Sacri ministri in utroque episcopi latere se sistunt. Candelifer candelam super altare ponit et recedit.

Benedictio solemnis

3 — Finita oratione, episcopus, accepta mitra, se vertit ad populum cum suis ministris et solemniter praesentibus de more benedicit.

❯ Si celebrans sit metropolita, crucifer cum ceroferariis se sistit ante eum pro benedictione sine mitra impertienda.

Discessus

4 — Data benedictione, pontifex cum suis ministris, praecedente cruce cum intorticiis et sequentibus ministris insignium, ad sacrarium pergit.

Vestitio altarium

5 — Cum episcopus e presbyterio exit, sacristae ornabunt ecclesiam et altaria; fontes ecclesiae implebunt aqua lustrali in initio functionis benedicta; omnia parabunt pro missa solemni celebranda; festivo more pulsentur sacra aera turris.

❯ Si officium canonicum recitetur in ecclesia reconciliata, et interruptum fuit post violationem, juxta canonem 1173 § 1, erit denuo initiandum. Officium incipitur ab hora tertia vel ab ea quae illo die dici debet ante missam.

Missa solemnis 6 — Cum omnia parata sunt, celebrabitur missa solemnis cum assistentia pontificis. Missa erit de die juxta calendarium ecclesiae, nulloque gaudet liturgico privilegio, exceptis orationibus, quae dicuntur sub unica conclusione cum orationibus diei (150).

CAPUT IV

170 DE RECONCILIATIONE LECTA ECCLESIAE

Juxta Pontificale reconciliatio ecclesiae consecratae est functio solemnis, quasi pars consecrationis, cum sacris ministris et cantu exsequenda; gravi vel rationabili de causa tamen, fieri poterit privatim sine cantu. Pro reconciliatione lecta omnia fiunt ut supra habetur, sed observa regulas pro benedictione lecta coemeterii datas, n.° *156*.

CAPUT V

171 DE RECONCILIATIONE ECCLESIAE CONSECRATAE A SACERDOTE FACIENDA

1 — Abbas benedictus in reconciliatione ecclesiae consecratae suae religionis, vel abbas nullius in reconciliatione ecclesiae consecratae sui territorii, procedit in omnibus uti episcopus, omissa benedictione pontificali, et praelatus nullius qui non sit abbas benedictus non utitur baculo.

2 — Sacerdos in reconciliatione ecclesiae consecratae sequi debet ordinem PR, sed ad ritum sacerdotalem redactum, prout sequitur.

1) Sacerdos utitur amictu, alba cum cingulo, stola et pluviali, etiamsi functio sit lecta, et sedet ad scabellum loco faldistorii.
2) Habebit assistentiam sacrorum ministrorum vel duorum clericorum cum superpelliceis prout functio erit cantata vel lecta.
3) Aderit more solito crucifer cum ceroferariis.

4) Pro benedictione aquae lustralis vel gregorianae, pontificale super legile ad mensas locabitur, et pro stationibus in fine super altare; pro aliis orationibus, pro praefatione et pro invocationibus litaniarum adstabit minister librum tenens.
5) Caetera fiunt ut in capitulo III supra, excepta benedictione finali.

❯ Si celebrans sit protonotarius apostolicus, ratione personae vel officii, confer tom. I, prolegomena, caput VI, nn. 39 ss.

TITULUS III

172 DE SOLEMNI RECONCILIATIONE COEMETERII

❯ In jure non distinguitur reconciliatio coemeterii solemniter benedicti ritu PR a reconciliatione coemeterii benedicti ritu RR, nam ritus reconciliationis in PR et RR unus est; in RR tamen una tantum habetur benedictio in litaniis. Agimus de reconciliatione ritu pontificali ab episcopis facienda. Quod si episcopus noluerit functionem istam solemniter facere, sacerdotem deputabit ad functionem ritu RR faciendam.

❯ Si coemeterium violatum fuerit ob sepulturam infidelis vel excommunicati, ordinarii erit videre utrum amotio cadaveris fieri possit necne sine gravi incommodo.

❯ Clerus functionis idem est ac pro reconciliatione ecclesiae et easdem sequitur regulas.

CAPUT I

DE PRAEPARANDIS

COLOR : albus

173 ART. I — IN CAPELLA VEL AULA VICINA

Omnia quae paranda sunt in sacrario pro reconciliatione ecclesiae, excepta ea quae ad celebrationem missae se referunt. Aderit canon pontificalis pro benedictione finali.

174 ART. II — IN MEDIO COEMETERIO

AD LATUS DEXTRUM prope crucem : mensa alba tobalea cooperta super qua parentur :

PRO BENEDICTIONE AQUAE LUSTRALIS :

Vas aquae plenum.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Sal in lance cum parvo cochleari.
Hyssopum ex herbis virentibus.
Manutergium in lance.
Cochlear ad hauriendam aquam.

ANTE CRUCEM COEMETERII :

Faldistorium alba veste coopertum super tapeto, cum pulvinari.

› Praevideatur ut coemeterium possit libere ad episcopo circuiri.
› Speciali modo signentur loca contaminata.

CAPUT II

RITUS SERVANDUS

175 ART. I — PRAEPARATIO AD FUNCTIONEM

Omnia fiunt ut in praeparatione pro ecclesiae reconciliatione.

Si aderit oratorium in coemeterio, ibi recipietur episcopus, ibique se vestit, sin aliter vestitio fiat in aliquo loco decenti prope coemeterium, et omnes processionaliter procedunt ad medium coemeterium.

176 ART. II — RECONCILIATIO

Litaniae

1 — Cum pervenerit processio in medium coemeterium, crucifer cum ceroferariis se sistit duo tresve passus ante faldistorium facie ad episcopum versa, qui, reddito baculo, flectit genua ad faldistorium cum suis ministris utrimque, qui bireta dimittunt; clerici de mitra et baculo locum sumunt retro post episcopum; qui de libro et scotula flectunt genua versus dexteram, prius pontificali super faldistorium aperto posito.

Cantores duo, nixi genibus retro post episcopum, cantabunt litanias, omnibus respondentibus.

Cum dictum fuerit *Ut omnibus fidelibus defunctis,* pontifex surgit cum suis ministris et accipit baculum. Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, non se vertens, canit invocationes tres quae hoc loco in PR habentur, dextera coemeterium benedicens.

Episcopus reddit baculum et iterum procumbit in faldistorio, ministris genuflectentibus, et a cantoribus complentur litaniae.

Benedictio aquae lustralis

2 — Finitis litaniis, surgunt omnes, et episcopus, accepto baculo, se sistit ad mensam aquae lustralis cum suis ministris; crucifer cum intorticis se sistit ad caput mensae; ministri de libro et scotula a sinistris episcopi, qui de mitra et baculo post ipsum stabunt.

Pontifex more solito benedicit aquam clara voce sine cantu et in fine digitos tergit manutergio.

Cum benedicta fuerit aqua, clericus de aqua vasculum implet et, accepto vasculo cum hyssopo, se sistit a dextris diaconi.

Aspersio

3 — Pontifex cum suis ministris se sistit ante faldistorium ubi inchoat antiphonam *Asperges me,* quae a cantoribus completur.

Pontifex a diacono induitur mitra et accipit hyssopum, deinde, praecedente cruce cum intortitiis et aliis recepto ordine, circuit totum coemeterium ad dexteram manum, illud continue aspergens nihil dicens.

Dum aspergitur coemeterium cantores cantabunt ps. 50 *Miserere,* sine *Gloria Patri* et sine repetitione antiphonae in fine, ita tamen ut psalmus finiatur simul cum aspersione.

Pontifex speciali modo aspergit loca polluta.

Finita aspersione, praeses iterum se sistit ante faldistorium, omnibus loca sua ut prius sumentibus et hyssopum diacono tradit.

Oratio reconciliatoria

4 — Pontifex, psalmo expleto, mitram deponit; ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, praemissa a sacris ministris invitatione ad genuflectendum, cantat orationem *Domine pie, qui agrum figuli* ad reconciliandum coemeterium; deinde se vertit ad januam coemeterii et sedet ad faldistorium, ubi denuo accipit mitram.

Benedictio solemnis

5 — Pontifex, si velit, orationem habebit ad clerum et populum de coemeterio reconciliato non iterum violando, deinde, assurgens, populo solemniter benedicit more solito, coram se habens ministros cum canone et scotula.

› Si celebrans sit metropolita, benedictionem dabit sine mitra, et crucifer sine luminaribus coram eo se sistit.

Discessus 6 — Omnes, ordine quo venerunt, revertuntur ad locum praeparationis, ubi, depositis sacris vestibus et assumptis choralibus, pontifex recedit in pace.

› Si reconciliatio fit ritu pontificali ab abbate vel protonotario, vide caput V, tituli II, n.° *171*.

CAPUT III

177 DE SOLEMNI RECONCILIATIONE COEMETERII UNA CUM ECCLESIA

› Accidere potest, licet rarissime, ut tum ecclesia tum coemeterium contiguum violentur, v.g. si ecclesia et coemeterium castra militum devenerunt, in quo casu ecclesia et coemeterium erunt simul reconcilianda, quo sequitur ritu.

1 — Pontifex dum circuit ecclesiam ad extra illam aspergendo, aspergit etiam coemeterium, vel si nequit una simul ecclesiam et coemeterium aspergere, finita aspersione ecclesiae ad extra, aspergit coemeterium per circuitum.

2 — Post orationem *Aufer a nobis*, episcopus, praemissa invitatione ad genuflectendum, cantat orationem reconciliatoriam coemeterii *Domine pie, qui agrum figuli.*

3 — In tribus invocationibus litaniarum dicit pontifex *Ut hanc ecclesiam, et altare hoc, ac coemeterium* etc.

Cetera fiunt ut in reconciliatione ecclesiae solius.

NOTAE AD SECTIONEM V

(144) In PR invenies una simul ritum reconciliationis ecclesiae et coemeterii, et deinde ritum reconciliationis coemeterii solius; nam in jure antepiano violatio ecclesiae secumferebat violationem coemeterii, violatio coemeterii tamen non ferebat violationem ecclesiae, sicut docebat Durandus, perillustris canonista, in prolegomenis ad hoc titulum. l.c. pg. 511. Codex jus mutavit et violatio unius loci sacri non amplius extenditur ad locum vicinum; proinde vix unquam fieri poterit ut ecclesia et coemeterium una simul violentur, praesertim cum hodie coemeteria longe ab ecclesiis construantur. Optandum ut in definitiva recensione PR reconciliatio ecclesiae sejungatur a reconciliatione coemeterii, juxta canonem 1172 § 2.

(145) Ante CJC nequibat ullo modo simplex sacerdos ecclesiam consecratam reconciliare citra apostolicum indultum, quod, teste Benedicto XIV, canonicis Basilicae Sancti Petri concedebatur, dummodo sacerdos uteretur aqua gregoriana ab episcopo prius benedicta, propterea ritus benedictionis aquae hujusmodi separatim in fine appendicis ad PR etiam nunc legitur. Benedictus XIV, *Ad honorandam*, § 8. Bullarium, tomus III, pars I, pg. 364. Ita etiam sancivit SRC decreto 2612 nunc obsoleto.

(146) Non amplius admittitur casus in quo licet, de licentia rectoris vel ordinarii, officia divina in ecclesia violata celebrare antequam reconcilietur, uti docebant nonnulli ante codicem; nam post codicem reconciliatio quam citissime fieri debet, etiam, si necesse sit, a simplici sacerdote ut inferius habetur. Praeterea intentio est Ecclesiae prohibere divina officia in ecclesia violata ad bonum fidelium et criminis detestationem. Nec distinguitur in lege dies dominicus a die feriali, quando prescribitur etiam interruptio missae. Satius dixerim, si die dominico accidat violatio, a praecepto audiendi sacrum excusare fideles qui alibi audire nequeant.

(147) Reconciliatio ecclesiae est ritus purificatorius et satisfactorius et non proprie paenitentialis. Maxima pars functionis sumitur ex ipso ritu dedicationis, est enim ad instar novae sed partialis consecrationis, proinde colore albo et non violaceo utitur Ecclesia. Quae de *Flectamus genua* in consecratione ecclesiae diximus, valent etiam pro earum reconciliatione, in qua habes invitationem ad geneflectendum ante omnes orationes, prima et ultima exceptis; in benedictione coemeterii invitatio haec, quae omissa fuit ante omnes orationes, repente apparet ante ultimam, quaeque omnia sic ordinavit Durandus. Vide notam 50.

(148) Nulla datur regula certa servanda in secunda parte PR et in ritibus similibus RR quoad cantum *Gloria Patri* et repetitionem antiphonae in fine psalmo-

rum, nam hic omittitur, illic dicitur, et rationem nescis. Sufficit, exempli gratia, sequentem percurrere tabulam rubricarum pro cantu psalmi *Miserere* cum antiphona *Asperges me,* prout statuit Durandus et PR conservavit.

Functio		*Gloria Patri*	*Antiphona in fine*
Benedictio	PR	dicitur	omittitur
Irii lapidis	RR	dicitur	omittitur
Consecratio altaris	PR	omittitur	omittitur
Consecratio arae portatilis	PR	omittitur	dicitur
Benedictio	PR	dicitur	dicitur
coemeterii	RR	dicitur	dicitur
Reconciliatio	PR	dicitur	dicitur
ecclesiae	RR	dicitur	dicitur
Reconciliatio	PR	omittitur	omittitur
coemeterii	RR	omittitur	dicitur
Benedictio ecclesiae	PR	dicitur	dicitur

Optandum ut in definitiva recensione PR regula aliqua pro norma habeatur, amore uniformitatis.

(149) Pro tribus aspersionibus per circuitum praescribuntur undecim versus ps. 67 *Exsurgat Deus,* qui revera non sufficiunt, licet interponatur antiphona. In statione finali, quasi non sufficeret psalmus 42 *Judica me Deus* cum sua antiphona et oratione, praecipitur recitatio totius psalmi 67, et quidem episcopus, licet fatigatus, stare debet toto tempore facie ad nudum altare versa! Cl. Durandus, qui psalmum 67 in deliciis habebat, ubi potuit interposuit. Optandum ut in definitiva recensione PR psalmus *Exsurgat Deus* cum sua antiphona ex hoc loco deleatur. Vide notam 84.

(150) Missa antiquissima *Cum sanctificatus fuero,* variatio missae *Terribilis,* quae in antiquis pontificalibus inveniebatur, ex editione Benedicti XIV dempta fuit. Andrieu tome III, pg. 516.

SECTIO VI

DE CAMPANARUM CONSECRATIONE

SECTIO VI

DE CAMPANARUM CONSECRATIONE

TITULUS I

PROLEGOMENA (151)

CAPUT I

178 DE OBLIGATIONE HABENDI ET CONSECRANDI CAMPANAS

Cuilibet ecclesiae campanas esse convenit quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur. CJC 1169 § 1.

1 — Ex quo sequitur campanas in ecclesiis esse deberi ex lege generali, si non e stricto praecepto, saltem ex convenientia. Praeceptum strictum in lege generali haberi non convenit cum in nonnullis locis. praesertim acatholicorum, haereticorum vel paganorum, campanarum sonitus prohibeatur quasi externa cultus manifestatio. Legibus particularibus vero, vel legitimis consuetudinibus, in multis locis campanae esse debent ex praecepto positivo.

2 — In nonnullis dioecesibus campanarum numerus determinatur lege speciali, juxta dignitatem diversarum ecclesiarum. Sanctus Carolus Cardinalis Borromeus praescripsit ut in ecclesiis cathedralibus septem, aut quinque ad minimum adessent; in ecclesiis collegialibus tres, in paroecialibus tres vel saltem duae. AEM tom. I, col. 1468.

3 — Etiam ecclesiarum campanae debent consecrari (vel benedici) secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos. CJC 1169, § 2. Id est, non solum ecclesiae consecrari debent (vel benedici) sed etiam earum campanae; nam sicut habentur ritus consecrationis et benedictionis pro ecclesiis, pari ratione habentur ritus consecrationis et benedictionis pro earum campanis.

4 — Campanarum consecratio (vel benedictio) est praeceptiva, ut patet ex verbis superioris canonis, et quidem juxta PR *antequam* ponentur in campanili. Juxta Benedictum XIV verbum *antequam* stricte est interpretandum, ita ut episcopus possit praecipere ut campanae, quae positae fuerunt in campanili antequam consecrarentur, denuo auferantur ut rite consecrentur (152).

5 — In ecclesiis consecratis, vel consecrandis, campanae consecrari debent ritu PR; nam benedictio solemnis campanarum RR adhiberi tantum potest in ecclesiis benedictis; dicit enim rubrica RR: *Quod attinet ad ecclesias consecratas... curandum omnino est... ut servetur ritus Pontificalis Romani.* RR Appendix, Benedictio ordinario reservata, n.º 7.

6 — Cum generatim ecclesiae noviter erectae antequam consecrentur, benedicuntur, quousque omnia sint parata ad consecrationem, et difficile est campanas semel in campanili positas iterum auferre, sequitur campanas ecclesiarum consecrandarum consecrari debere antequam in campanili locentur, licet ecclesiae sint tantum benedictae.

7 — Dubitare licet de valore benedictionis solemnis collatae campanis ecclesiae jam consecratae, cum ritus benedictionis approbatus fuit tantum pro ecclesiis benedictis, et invalida est benedictio si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta. CJC 1148 § 2. E contra, laudabiliter consecrantur campanae ecclesiarum quae fuerunt tantummodo benedictae, quia semper adest spes eas aliquando consecrandi. Collata benedictio consecrationem non impedit, cum minus nec excludat nec includat maius.

8 — Peracta consecratione, in campanili apponatur lapis commemorativa ad perpetuam rei memoriam, et redigatur instrumentum duplici exemplari in ecclesiae et curiae archivis asservandum.

CAPUT II

DE MINISTRO ET DE TEMPORE CONSECRATIONIS

179 1 — MINISTER ordinarius consecrationis campanarum, quoad valorem, est episcopus consecratus. CJC 1147 § 1. Minister extraordinarius est sacerdos apostolico indulto munitus.

2 — Quoad liceitatem, consecratio campanarum eodem jure regitur ac consecratio ecclesiae cujus est complementum; proinde, qui potest ecclesiam consecrare, potest etiam ejus campanas consecrare. CJC 1169 § 5 et 1155 § 1.

3 — Vicariis et praefectis apostolicis, qui charactere episcopali carent, a jure non conceditur permissus consecrandi campanas. CJC 294 § 2. Apostolici administratores consulant litteras deputationis.

4 — Abbas vel praelatus nullius intra fines sui territorii potest campanas consecrare, quia potest ecclesias consecrare. CJC 323 § 2. Abbates de regimine vero nequeunt, jure communi, campanas consecrare quia nullibi hoc eis conceditur.

5 — Rationabili de causa nonnunquam concedit Sancta Sedes potestatem ordinariis delegandi sacerdotes, in ecclesiastica dignitate constitutos, ad consecrandas campanas.

180 TEMPUS. Campanae consecrari possunt quocumque die, extra triduum sacrum et commemorationem fidelium defunctorum. Consecratio fieri solet horis postmeridianis, sed rationabili de causa fieri potest etiam ante meridiem.

CAPUT III

181 DE CAMPANIS CONSECRANDIS

1 — Campanae omnes consecrari possunt, dummodo sint juxta formam universaliter receptam fusae, seu quasi vas amplum, clausum in superiori parte, apertum in inferiori.

2 — Quoad materiam, campanae solent esse ex stanno seu aere, sed campanae e chalybe (acier) debent etiam consecrari. D 3067.

3 — Quoad dimensiones nullae habentur maximae, sed nec minimae, dummodo agatur revera de campanis seu signis ad invitandos fideles aptis et in campanili seu turre locandis, et non de tintinnabulis seu campanulis.

4 — Juxta PR campana habere debet titulum seu nomen alicujus sancti in cujus honore consecratur, ex quo oritur apud fideles nomen *baptismi campanarum.* Benedictus XIV, Institutio 47, n.º 32 ss. Opera, tom. X, pg. 224. Nomen sancti patroni in ipsa campana inscribi solet in actu fusionis.

5 — Perutilis erit si, tempore fusionis, in parte inferiori campanae ad extra per circuitum, apponantur septem parvulae cruces, intus vero quatuor, in locis ubi episcopus unctiones facere debet.

6 — Exstat in RR pulchra benedictio metalli pro campana dum aere conflatur: incipit ante fusionem metalli et post fusionem completur; ita enim, ad instar ecclesiae, etiam campanae ab incunabulis Deo consecrari possunt. RR Appendix, Benedictio nemini reservata, n.° 15. Martène, tom. II, pg. 297.

TITULUS II

RITUS SOLEMNIS CONSECRATIONIS UNIUS VEL PLURIMARUM CAMPANARUM

CAPUT I

182 CLERUS CONSECRATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

ADERUNT:

Pontifex consecrator.
Sacri ministri.
Caeremoniarii duo.
Cantores quatuor.
Clerici tres pro cruce et intortitiis.
Clerici quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula.
Acolythi duo.
Thuriferarius.
Ostiarius seu sacrista.

› Si multae sint campanae consecrandae, aderunt sacerdotes duo vel plures, superpelliceis induti, ad campanas lavandas et abstergendas.

183 PONTIFEX utitur mitra auriphrygiata et baculo pastorali, etiamsi non sit loci ordinarius. Clara voce benedicit aquam; cantat vero in tono feriali, junctis manibus, orationes tres consecrationis campanarum.

184 SACRI MINISTRI assumunt dalmaticas et manipulos pro cantu Evangelii tantum, tempore consecrationis inserviunt in albis, diaconus cum stola, ut in consecratione ecclesiae, cujus est complementum (153). Diaconi munus est mitram capiti pontificis imponere et auferre; cum suetis osculis tradit et accipit hyssopum et cochlear incensi.

185 PATRINI in consecratione adhibere solent, licet de eis minime loquatur PR. Nulla eis functio liturgica tribuitur, sedere tantum poterunt distinctis in locis et, functione expleta, campanas pulsare; generatim patrini sunt ipsi donatores.

☽ Functio haec juxta PR fieri debet cum cantu et sacris ministris, nec a rubricis permittitur consecratio lecta campanarum.

CAPUT II

DE PRAEPARANDIS

186 COLOR: albus

ART. I — IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS:

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis; bireta duo.

PRO CLERO ET CANTORIBUS:

Superpellicea.
Libri rituales parvuli cum musicis notis. Desclée n.º 594.

187 ### ART. II — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI

☽ Pontifex parabitur in sacrario, vel in aula nobili aliqua, vel etiam in presbyterio ecclesiae, ibique sacrae ejus vestes praeparentur.

Sedes cameralis super tapeto.
Scabella duo utrimque pro sacris ministris.
Mensa alba tobalea cooperta, super qua parentur:

PRO PONTIFICE:

Amictus; alba cum cingulo; stola et pluviale; formale si celebret ordinarius; quae omnia cooperiuntur serico velo; mitra auriphrygiata.
Vela duo pro mitra et baculo.
Ritus consecrationis in folio.
Scotula cum cereo.

PROPE MENSAM:

Baculus pastoralis.
Crux hastata cum intortitiis duobus.

188 ### ART. III — IN LOCO CONSECRATIONIS

☽ Campanae consecrari possunt quocumque loco decenti, juxta locorum adjuncta. Convenientius tamen consecrantur in porticu vel in narthece ecclesiae. Curandum omnino erit ut locus sit circumseptus scamnis aliisve cancellis, ne pateat populo, secus impossibilis evadit recta rituum exsecutio.

CAMPANAE consecrandae suspensae erunt, quo melius fieri poterit, ita ut episcopus possit facile eas extra et intus ungere, et libere circuire; ad caput poterunt floribus stipari.

☽ Si cruces non exstant super campanas, pro septem unctionibus ad extra, caeremoniarius adhibebit vittas ad circumferentiam uniuscujusque campanae circa labia, in quibus signentur septem loca unctionum. Abstersis campanis, facile erit cum vitta loca unctionum gypso designare.

AD CAPUT LOCI:

Faldistorium suis vestibus coopertum super suppedaneo cum tapeto.
Scabella duo utrimque pro sacris ministris.

AD LATUS DEXTERUM:

Mensa minor alba tobalea cooperta super qua parentur:

PRO BENEDICTIONE AQUAE LUSTRALIS:

Vas amplum aqua plenum.
Sal in lance cum cochleari.
Vasculum aquae lustralis vacuum.
Concha ad hauriendam aquam.
Manutergium in lance.
Hyssopum ex herbis virentibus.

AD LATUS SINISTRUM:

Mensa maior, alba tobalea cooperta, super qua parentur:

AD CAMPANAS LAVANDAS ET ABSTERGENDAS :

Spongiae duae, vel plures.
Mappae crassae, tot quot erunt campanae.

PRO UNCTIONIBUS :

Vasculum cum oleo infirmorum.
Vasculum cum sancto chrismate.
Tabella cum formula consecratoria.
Bombaceum in lance.
Linteum ad unctionem abstergendam.
Vittae ad circumferentiam uniuscujusque campanae.
Gypsum ad scribendum.

PRO ABSTERSIONE MANUUM EPISCOPI :

Urceus cum aqua et pelvi.
Manutergia duo in lance, sive gremiale linteum.
Citrus et medulla panis in lance.

AD INCENSUM CONBURENDUM :

Lanx cum incenso odorifero, vel thymiamate.
Cochlear maius argentatum.

PRO CANTU EVANGELII :

Candelabra acolythorum duo.
Evangelistarium (signaculum ad diem 15 Augusti).
Dalmatica et tunica.
Manipuli duo.
Thuribulum cum navicula thuris.
Forceps in usum thuriferarii.
Gossipium ceratum ad candelas accendendas.

AD CAMPANAS PULSANDAS :

Malleus ligneus, seu ferreus corio tectus.

AD LATUS SINISTRUM :

Legile hastatum cum pontificali ad usum cantorum, nisi utantur libris manualibus.

AD LATUS DEXTERUM prope abacum :

Legile hastatum sua veste coopertum pro cantu Evangelii.
Foci cum igne subtus campanas suo tempore locandi, tot quot erunt campanae consecrandae. Foci suas habebunt bases seu scabella.
Scabellum super quo ponetur vas aquae lustralis tempore lotionis campanarum.

PER CIRCUITUM LOCI :

Scamna oblonga pro clero assistenti.

AD ANGULUM OPPOSITUM FALDISTORIO :

Sedilia pro patrinis.

Vide diagramma XIV.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

189 ART. I — PRAEPARATIO

Vestitio cleri

1 — Hora praestituta clerici inservientes et clerus assistens induunt superpellicea; sacri ministri induunt amictum et albam cum cingulo, diaconus etiam stolam.

Receptio episcopi

2 — Clerus obviam ibit episcopo quo loco recipi debeat, sacri ministri vero cum biretis exspectabunt episcopum ad scabella parata in loco vestitionis pontificis.

Pontifex proceditur ad ecclesiam habitu praelatitio induto et recipietur more solito, sed ad ejus adventum non sonantur campanae nec ei dabitur aspersorium cum ipse episcopus debet aquam benedicere.

Praeeunte pontifice, procedunt omnes ad locum paratum pro vestitione; ibique pontifex, facta reverentia cruci, sedet in sede camerali, et ad ejus adventum sacri ministri ei reverentiam vel genuflexionem faciunt dum episcopus illis benedicit; deinde omnes ad loca sua se sistunt ad nutum caeremoniarii.

Vestitio episcopi 3 — Caeremoniarius 2us. vestes sacras episcopi clericis inservientibus more consueto tradit.

Pontifex, adjuvante caeremoniario 1mo. seu familiari, dimittit crucem et mozetam vel manteletum, sed non expedit caudam habitus talaris; deinde diaconus, adjuvante subdiacono, vestit episcopum sacris indumentis more solito, demum ei imponit mitram.

Incepta vestitione praelati, cantores cantabunt tono in directo septem psalmos veniales, quos in itinere ad locum consecrationis prosequentur (154).

Dum episcopus se vestit, crucifer accipit crucem et clerici duo intorticia assumunt, et se sistunt ad januam aulae.

› Si antistes sit metropolita, crucifer ejus, deposita cappa, superpelliceum assumit, et se sistit prope ceroferarios.

Iter ad locum consecrationis 4 — Caeremoniarii ordinabunt processionem ad locum consecrationis ordine sequenti:

Crucifer medius inter ceroferarios.

Cantores bini.

Clerus functioni assistens.

Acolythi duo et thuriferarius junctis manibus.

Pontifex medius inter sacros ministros cum biretis, oras pluvialis ejus tenentes.

Ministri de mitra et baculo.

Ministri de libro et scotula.

Familiares episcopi.

› Si episcopus sit metropolita, crucifer cum ceroferariis ibit immediate ante eum.

Cum omnia ordinata sunt, ad nutum caeremoniarii, episcopus, accepto baculo, assurgit, et locum suum sumit cum suis ministris, facta cruci hastatae debita reverentia.

Ad locum campanarum cum pervenerint, pontifex se sistit ad faldistorium et sedet, reddito baculo, cum suis ministris utrimque; crucifer cum ceroferariis se sistit a dextris; cantores et clerus consistunt ad loca ipsis a caeremoniario destinata; clerici inservientes se sistunt prope abacum; ministri insignium ante episcopum, et familiares retro post eum stabunt.

Interim cantores recitationem psalmorum praeparationis complent.

190 ART. II — CAMPANARUM LOTIO

Benedictio aquae lustralis 1 — Facta parva mora, episcopus, accepto iterum baculo, assurgit, et cum suis ministris pergit ad mensam aquae benedicendae; crucifer cum ceroferariis se sistit facie ad episcopum versa; ministri de libro et scotula ad sinistram pontificis stabunt, qui de mitra et baculo retro post eum se sistunt.

Pontifex, clara voce sine cantu, benedicit aquam juxta consuetam formulam: dum dicit exorcismos salis et aquae habebit mitram in capite et baculum in mane; sine mitra et sine baculo recitat orationes et facit mixtionem salis et aquae.

Advertat pontifex ut ante mixtionem salis et aquae addat orationem *Benedic Domine* consecrationis campanarum propriam. Si plurae campanae sint consecrandae dicat praeses *Haec vascula praeparata* vel *haec tintinnabula* et *clangorem illorum* (155). Deinde, facta triplici immixtione salis in aqua cum consueta formula, pontifex recitat orationem finalem *Deus, invictae virtutis auctor.*

Aqua benedicta, episcopus, accepta mitra, revertitur ante faldistorium cum suis ministris.

Campanarum lotio 2 — Thuriferarius vasculum implet aqua lustrali et, accepto vasculo et hyssopo ex herbis virentibus, se sistit a dextris diaconi; crucifer cum ceroferariis se sistit ad caput loci facie ad episcopum, duos tresve passus retro post campanas; ministri insignium stabunt hinc inde a lateribus faldistorii.

Cantores incipiunt psalmos laudativos, seu sex ultimos psalterii tono in directo (156).

Episcopus, accepto hyssopo a diacono, cum suis ministris circuit campanas, quas aqua benedicta unamquamque seorsum aspergit (157).

Finita aspersione et reddito hyssopo, praeses ibit ad faldistorium cum suis ministris et sedet.

Acolythi concham amplam cum aqua benedicta prope campanas locant, cum spongiis duabus et mappis crassis, ac recedunt.

Sacri ministri, adjuvantibus presbyteris duobus si multae sint campanae, cum aqua lustrali et spongiis, campanas lavabunt prius ad intus, deinde ad extra (158).

Lotis campanis, acolythi concham amplam cum spongiis removent.

Caeremoniarii lintea munda sacris ministris tradunt, qui campanas sine mora abstergunt, adjuvantibus presbyteris si necesse sit.

Deinde sacri ministri, mappis depositis et abstersis manibus, ad latera pontificis redeunt, facta ipsi debita reverentia.

Dum lavantur et absterguntur campanae, cantores psalmorum cantum prosequuntur, qui, quantum fieri poterit, absolvi debet cum sacri ministri abstersionem explent.

Unctio lotionis

3 — Acolythus 1us. se praesentant a dextris diaconi cum vasculo olei infirmorum.

Pontifex cum suis ministris pergit ante campanas, et, intincto pollice in oleo, facit in partem superiorem campanae ad extra unctionem in forma crucis nihil dicens; similiter facit super singulas campanas, si plures adsunt (159). Expletis unctionibus, episcopus digitos tergit gossipio, a caeremoniario 1.° praesentato, et cum sacris ministris ad faldistorium redit et sedet.

Oratio ad complendum

4 — Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, deposita mitra, assurgit et cantat orationem *Deus, qui per beatum Moysen,* in plurali si plures (D 3630, II); sedet et, recedentibus ministris de libro et scotula, a diacono induitur mitra.

Pontifex jubebit loca unctionum linteo abstergi, quod quidem fit a caeremoniario 2do. vel a presbyteris qui campanas laverunt.

191 ART. III — CAMPANARUM CONSECRATIO

Praeparatio ad unctiones

1 — Caeremoniarii vittas super campanas, per circuitum ad extra circa labia, apponunt, et gypso signant loca septem unctionum; deinde intus faciunt parvulas cruces quatuor pari intervallo.

) Si jam adsunt cruces fusae in locis unctionum, quae superius dicta sunt omittentur.

Unctiones cum oleo infirmorum

2 — Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus assurgit et inchoat antiphonam *Vox Domini,* quae a cantoribus camplebitur, et recedunt ministri.

Caeremoniarius 2us. diacono tradit vasculum olei infirmorum et subdiacono tabellam cum formula consecratoria.

Episcopus cum suis ministris pergit ante campanam 1am. seu maiorem et, intincto pollice in oleo (160), ungit campanam super unum e septem locis, cum duplici unctione et triplici benedictione; deinde facit unctiones similes in aliis sex locis, repetens singulis eandem formulam; advertat ne faciat unctiones super gypsum sed prope ipsum.

Si plures sint campanae consecrandae, episcopus, finitis unctionibus cum oleo infirmorum super 1am. campanam, easdem super singulas campanas repetit.

Unctiones cum chrismate

3 — Caeremoniarius 2us. accipit de manibus diaconi vasculum olei infirmorum eique tradit vasculum sancti chrismatis. Pontifex, reversus ante 1am. campanam, intingit pollicem in chrismate et facit unctionem duplicem cum triplici benedictione in parte interiori campanae circa labia, eandem adhibens formulam: deinde repetit unctionem in aliis tribus locis signatis. Uncta 1ma. campana, episcopus procedit ad 2am. et dein ad alias, si adsunt, et singulas eodem modo ungit.

Cantores, cantata antiphona, modulabuntur ps. 28 *Afferte Domino, filii Dei,* cum *Gloria Patri* in fine et repetitione antiphonae, qui quidem cantus debet unctiones concomitari, ita ut absolvatur cum finiuntur unctiones. Si multae sint campanae consecrandae antiphona iterari poterit post singulos vel binos versus, juxta regulam pro ecclesiarum consecratione statutam.

Finitis unctionibus, diaconus reddit vasculum caeremoniario 2do. et subdiaconus tabellam.

Pontifex cum suis ministris redit ad faldistorium et a cantoribus cantatur *Gloria Patri,* ad quem omnes caput profunde versus crucem hastatam inclinabunt. Sedet episcopus et cantores cantum complent.

Lotio manuum episcopi

4 — Cum sedet pontifex, acolythi se praesentant cum pelvi et urceolo et cum manutergiis in lance, et clericus unus cum medulla panis vel citro. Diaconus gremiale linteum gremio episcopi extendit, qui more solito manus tergit lavatque, diacono manutergium ministrante; deinde discedunt ministri de lotione et amovetur gremiale.

Oratio ad complendum

5 — Ministri de libro et scotula se praesentant et diaconus aufert mitram episcopi, qui assurgit et cantat orationem *Omnipotens... qui ante arcam foederis,* in plurali numero si plures sint campanae, ad unctiones complendas; eaque cantata, sedet et accipit mitram.

192 ART. IV — CREMATIO INCENSI ET EVANGELII CANTUS

Impositio incensi

1 — Acolythi focum cum igne ardenti super scabellum ante pontificem locant, vel, si plurae sint campanae consecratae, tot focos quot sunt campanae.

Thuriferarius se praesentat a dextris episcopi cum lance plena incenso odorifero et cochleari maiori, quod diaconus episcopo tradit cum osculis, qui incensum super focum seu focos, sine benedictione stipat.

Fumigium campanarum

2 — Acolythi focum subter campanam locant, vel si sint plures focum unum subter unamquamque campanam ponunt, ita ut tota campana incenso repleatur seu repleantur. D 3630.

Interim schola incipit antiphonam *Deus, in sancto via tua* cum psalmo 76 *Viderunt te aquae, Deus* cum *Gloria Patri,* sed sine repetitione antiphonae in fine.

Sedet praeses dum crematur incensum.

Oratio ad complendum

3 — Versus finem psalmi, ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus, deposita mitra, assurgit et ad *Gloria Patri* caput cruci hastatae inclinat; deinde canit orationem *Omnipotens dominator Christe* (in plurali si plurae sint campanae) cum qua completur ritus cremationis incensi et consecrationis campanarum, et accipit mitram; ministri de libro et scotula discedunt.

Praeparatio ad Evangelii cantum

4 — Sacri ministri ibunt ad abacum ubi induunt manipulos et dalmaticas, adjuvantibus acolythis, qui cereos candelabrorum accendunt; thuriferarius accipit thuribulum ardentem cum navicula incensi; caeremoniarius 2us. legile versus dexterum cornu loci ponit. Clerici cum intortitiis illa seorsim deponunt et exstinguunt, et candelabra accipiunt.

Ad nutum caeremoniarii 1mi. diaconus cum thuriferario se sistit coram episcopo cum debitis reverentiis, qui incensum thuribulo ponit cum consueta benedictione, diacono naviculam ministrante, et, iteratis reverentiis, discedunt.

Evangelii cantus

5 — Diaconus accipit evangelistarium et cum subdiacono a sinistris, sequentibus caeremoniario 2.° cum thuriferario et duobus ceroferariis, coram pontifice se sistit ubi, facta debita reverentia, petit benedictionem, solito in missa more dandam; deinde osculatur annulum episcopi et discedit cum aliis ad legile paratum, iterata episcopo debita reverentia.

Caeremoniarius 1us. caput episcopi nudabit mitra et pileolo, qui assurgit et accipit baculum intra manus junctas ante pectus.

Ad nutum caeremoniarii 1mi. diaconus canit *Dominus vobiscum,* deinde, incensato libro, canit evangelium ut in festo Assumptionis B.M.V. et omnia fiunt de more.

Cantato evangelio, episcopus reddit baculum ministro et subdiaconus sine genuflexione ei portat librum deosculandum; facta debita reverentia, recedit ac tradit librum 2.° caeremoniario.

Ceroferarii ad abacum recedunt et diaconus, cum thuriferario a dextris, se sistit ante faldistorium ubi thuris honorem episcopo de more tribuit et cum thuriferario ad abacum redit.

Pontifex sedet et a 1.° caeremoniario pileolo et mitra cooperitur. Sacri ministri, depositis manipulis, revertuntur ad episcopum cum debitis reverentiis (161).

› Si episcopus sit metropolita, ad cantum evangelii crucifer (sine luminaribus) stabit ad sinistram faldistorii.

Benedictio postrema campanarum

6 — Pontifex, nihil dicens, producit signum crucis super campanam vel campanas (162).

Campanarum pulsatio

7 — Benedictione impertita, caeremoniarius, ad nutum episcopi, patrinos vocabit, qui, alius post alium, cum malleo ligneo, seu ferreo corio tecto, campanas pulsabunt, juxta receptum morem.

Recessus

8 — 2us. caeremoniarius clerum disponit ordine quo venit, et omnes revertuntur ad locum ubi pontifex vestes sacras assumpsit; ibique, more solito dimissis sacris vestibus et accepto habitu chorali, episcopus recedit.

Sacri ministri revertuntur ad sacrarium, ubi sacras deponunt vestes.

CAPUT IV

193 RITUS A SACERDOTE SERVANDUS DE PERMISSU SANCTAE SEDIS

1 — Abbas benedictus, de licentia apostolica, pro campanis suae ecclesiae, omnia adamussim servat ut in capitulo III praescribitur.

2 — Praelatus nullius, vicarius, praefectus vel administrator apostolicus, intra limites sui territorii, in consecratione campanarum, se gerunt ut in capitulo III, dempto baculo, qui eis non conceditur; mitrae et faldistorii usu gaudent, quasi protonotarii de numero. D 4154, n. 28, sed vide n. 179 huius sectionis.

3 — Protonotario apostolico ad instar participantium, de licentia apostolica campanas consecranti, a jure non conceditur usus mitrae, nisi de ea specialis mentio habeatur, et procedit in omnibus ut simplex sacerdos; candela tantum uti poterit. D 4154, n. 78.

4 — Simplex sacerdos in consecratione campanae omnia facit ut in capitulo III, ritu tamen sacerdotali (D 3015) pro quo observa:

1) Sacerdos induit amictum, albam cum cingulo, stolam et pluviale, eique inserviunt sacri ministri et functio fit cum cantu ut in pontificali.

2) Aderit crux cum intortitiis sueto more.

3) Loco faldistorii aderit scamnum.

4) Sacerdos aquam in actu consecrationis benedicat. D 3630 (163)

5) Evangelium cantatur a diacono ritu missae solemnis.

194 ❯ Aliquando accidit ut campanae locentur in turre antequam consecrentur et nequeunt sine gravissimo incommodo auferri. In his casibus Congregatio Sacris Ritibus praeposita specialem permissum concedit ut sacerdos, si fieri possit in ecclesiastica dignitate constitutus, campanas in turre privatim consecret. Sacerdos utitur stola super superpelliceo, habet assistentiam duorum clericorum et caeremoniarii, et omnia fiat meliori quo fieri potest modo. In fine sacerdos ipse evangelium legit.

TABELLA PRO CAMPANARUM CONSECRATIONE

❯ Dum episcopus facit unctiones septem cum oleo infirmorum super campanas ad extra circa labia cum duplici unctione et triplici benedictione toties quoties dicit:

SANCTI ✠ FICETUR ET CONSE ✠ CRETUR, DOMINE, SIGNUM ISTUD. IN NOMINE PA ✠ TRIS, ET FI ✠ LII, ET SPIRITUS ✠ SANCTI. IN HONOREM N.

PAX TIBI

❯ Haec formula repetenda est pro quatuor unctionibus ad intus circa labia cum sancto chrismate.

❯ Ad litteram N. adjungitur nomen patroni seu nomina patronorum illius campanae.

NOTAE AD SECTIONEM VI

(151) Titulum PR aliquantulum mutavimus, seu ubi dicitur de benedictione campanae, de consecratione dicimus. Distinctio consecrationem inter et benedictionem invenies in codice piano, dicit enim canon 1169 § 2 *Ecclesiarum campanae debent consecrari vel benedici.* Consecrationes strictissime episcopis a jure reservantur quoad valorem, sunt enim plus quam benedictiones. CJC 1147 § 1. Benedictus XIV, Inst. 47, n. 38, tom. X pg. 225. De campanarum consecratione post ecclesiarum reconciliationem agimus quia ritus maior est, qui ab ecclesiis derivatur ad illasque pertinet; qui sequuntur sunt ritus minores.

(152) *Signum vel campana debet benedici antequam ponatur in campanili.* PR. Ad rem Benedictus XIV: "Etenim in eo verbo *debet* necessitas ac praeceptum continetur. Accedit etiam in nostra potestate esse ut ex turri auferantur campanae, earumque sonus impediatur, quae benedictione nostra consecratae non fuerunt". Lamentabatur magnus ille Pontifex se nunquam ad campanas consecrandas Bononiae fuisse invitatum. 1.c. AEM, tom. I, col. 323.

(153) Dicimus sacros ministros dalmaticis indui debere pro cantu evangelii tantum, licet contrarium generatim docetur ab auctoribus. Rationes in PR invenies. Nam juxta PR pro ecclesiarum consecratione, et ritibus qui ab ea derivantur, uti omnes in hac 2.ª parte expositi, sacri ministri a dalmaticarum usu abstinent propter tria. 1.° Agitur de ritibus in quibus multa difficilia agenda sunt a ministris, qui, si dalmaticis uterentur, impedirentur. 2.° Aspersionibus cum aqua gregoriana vel lustrali, lotionibus et unctionibus, certe dalmaticae macularentur. 3.° Dalmaticae sunt potius vestes solemnitatis quam inservientium, quod quidam tota traditione facile confirmatur.

In consecratione campanarum eaedem adsunt rationes; nam campanae debent lavari, ungi, incensari, et pro istis actionibus dalmaticae ministrorum motus impediunt. Quod quidam comprobatur, non solum rubricis priorum functionum hujus 2ae. partis (non solet PR rubricas repetere), sed praesertim rubrica ante evangelium posita; dicit enim *Demum diaconus, sacris vestibus... paratus dicit...* Sequitur diaconum antea non fuisse sacris vestibus indutum, secus inutilia essent verba haec.

Rubrica initialis intelligenda est juxta principia generalia PR, secus nimis probaret, nam facit diaconum accipere manipulum et dalmaticam. At, juxta omnes, manipulus accipiendus est tantum pro cantu evangelii. Praeterea silet rubrica de sub-

diacono, et de tunica ab eo adhibenda, propterea apostolicus caeremoniarius Castaldus docebat librum sustinendum esse a capellano. Praxis caeremoniarum, pg. 292. Venetiis 1681.

Ut concludamus, patet e rubricarum studio, dalmaticas adhibendas esse propter cantum evangelii, sine quibus nequit solemniter cantari. Nobis videndum est non quomodo res fiant, sed quomodo fieri debeant, sicut dicere solebat Benedictus XIII, liturgista clarissimus. Vide etiam notam 158 infra.

(154) Ritus proprius consecrationis campanae incipit ab aquae benedictione, sed prius habes septem psalmos paenitentiales seu veniales sicut passim in codicibus vocantur. In consecratione ecclesiae vel altaris septem etiam habentur psalmi praeparatorii, sed omnes paenitentiales. In utroque casu psalmi sunt praeparatorii et dici debent uti pars praeparationis. Latet ratio cur in uno casu episcopus possit psalmos incipere ante vestitionem et in alio non. A rubricarum littera discessimus, ponentes initium psalmorum ante vestitionem, brevitatis gratia. Sed etiam MM et LVH a rubrica discedunt, nam jubent pontificem incipere psalmos, a clericis recitandos, dum rubrica mandat episcopum ipsum psalmos recitare.

(155) Ritus consecrationis campanae in plurali in PR desideratur, tamen generatim duae vel plures campanae simul consecrantur; textus in numero plurali tandem aliquando a pontificibus typographis editus veniat!

(156) Psalmi laudativi, sex ultimi psalterii, convenientissime ponuntur in ritu consecrationis campanarum, quae debent fideles ad Deum laudandum invitare, sunt etiam antiquissimi hoc loco. In PR tamen habes psalmos sine notis et praescribitur ut pontifex eos recitet cum suis ministris. MM et LVH jubent cantores hos psalmos recitare et bene quidem; sed solemnior evadit ritus si cantores eos modulentur dum lustrantur campanae, nam lustrationem debent concomitari. Casus est diversus a supra exposito de psalmis praeparatoriis, qui nullum ritum concomitantur. Juxta PR psalmi vel responsoria, quae ritus ab episcopo ponendos comitantur, fieri debent cum cantu. Praeterea antiquissimi codices ita fieri decernunt: sic in Sacramentario Gellonensi legis *dum cantes laves eum de aqua benedicta cum oleo et sale.* Bib. Nat. code latin 12048. Et Pontificale Roberti *lavetur signum cum aqua benedicta cantantibus interim sex psalmos.* Ed. Wilson, pg. 104, London 1903. PR saeculi XII *Post haec cantant psalmos sex in finem psalterii et, dum cantas, lavas eum de aqua benedicta cum oleo et sale mixto.* Andrieu tome I, pg. 294: SRC dixit psalmos cani posse. D 3630, I — IV.

(157) Ubi de rebus praeparandis rubrica loquitur de aspersorio, sed rubricae textus aperte de campanarum lotione agunt et non de earum aspersione. Cum tamen episcopi erit lotionem tantum incipere, id satis fit, si cum herbis virentibus aquam benedictam super campanas spargat.

(158) Rubrica dicit *Pontifex incipit lavare campanam, et ministri prosequuntur lotionem.* Quinam ministri? Videtur agere de sacris ministris, nam verbum *ministri* in PR generatin se refert ad sacros ministros; praeterea rubrica jubet pontificem psalmos recitare *cum aliis ministris* quia ministri ejus campanae lotioni intenti sunt.

Sed cum auctores solent vestire ministros cum dalmaticis inde ab initio functionis, et impossibile est ita parati lavare campanas, functio haec aliis ministris tradunt. Juxta MM presbyteri debent campanam lavare, vel saltem clerici in sacris, quia lotio campanae est pars ritus consecrationis, et in antiquis ordinibus pontifex ipse campanam lavabat; nunc episcopus lotionem incipit, sed continuatio ritus ab eo incepti fieri debet a dignioribus, qui in casu sunt sacri ministri, propterea erunt in albis.

(159) Campanae consecrantur extrinsecus septem unctionibus oleo infirmorum et intrinsecus quatuor sancto chrismate. Miraris tamen cum legas praescriptionem rubricae de signo crucis cum oleo infirmorum faciendo sub silentio supra campanam, uti finis ritus lustrationis, antequam dicatur oratio *Deus qui per beatum Moysen* ad eam complendam. Miraris etiam cum legas rubricam positam post orationem, quae jubet pontificem linteo mundo crucem a se factam extergere. Miraris inquam, quia episcopi munus est ungere, ministrorum abstergere. Tota quaestio historice explicatur, nec necesse erit mysticas invenire rationes.

Teste Catalano *Omnium una pene Pontificalium codicum sententia est ut, dum memorati sex psalmi canuntur, lavetur de aqua benedicta cum oleo et sale campana, sequaturque deinde oratio "Deus qui per beatum Moysen."* Episcopi munus erat campanam cum linteo mundo lavare et abstergere. PR saeculi XII, Andrieu tome I, pg. 294. Durandus in suo Pontificali mixtionem olei in aqua abolevit, et suo loco jussit episcopum crucem unam cum oleo puerorum super campanam producere. o.c. tome III, pg. 535. Revera incommoda evadit lotio campanae cum aqua oleo permixta, nam potius maculatur.

Antiqua rubrica Pontificalis Romano-germanici de campana ab episcopo cum linteo mundo abstergenda permansit, sed redacta ad abstersionem unctionis. Cum hodie episcopus non amplius tenetur ad lavandam abstergendamque campanam, sed solum incipit ritum, putamus nos plus regulas stabilites aliis locis a PR, et spiritum quam litteram sequi, cum facimus tersionem huius unctionis fieri ab aliquo ministro et non ab antistite. Exoptare licet ut in definitiva recensione PR haec prima unctio cum oleo infirmorum deleatur.

(160) In Romana Liturgia oleum infirmorum benedicitur ad usum infirmorum, quibus exclusive reservatur; ejus usus in campanarum consecratione singularis est et etiam recentissimus. In antiquo ordine romano, sicut in PR saeculi XII vel XIII, unctiones omnes intus et extra fiebant cum chrismate. Andrieu, tome I, pg. 294; tome II, pg. 442. In PR Durandi legitur oleum puerorum extrinsecus et sanctum chrisma intrinsecus. Andrieu, tome III, pg. 535. Forsitan mutatio postea facta est quia campanae debent mortuos plangere! Optandum ut in definitiva recensione ad usum maiorum deveniamus. Cft. Catalanus h.l. §§ 5 et 6. Numerus unctionum, septem extrinsecus et quatuor intrinsecus, semper idem fuit.

(161) Cantus evangelii de Martha et Maria introductus fuit a Durando. l.c. tome III, pg. 536. Textus sacer in casu nullam relationem habet cum consecratione campanae, et indiget interpretatione accommodatitia. Sufficit transcribere verba Catalani in h.l. *Ingenue fateor me nec in antiquo romano ordine, neque in priscis toties*

memoratis pontificalibus, gellonensi, anglicano, imo nec in Barensi... ritum reperiisse ut in fine benedictionis campanae diaconus, sacris indutus vestibus albi coloris, evangelium pronuntiet.

Studio analytico ritus consecrationis campanae apparet illum tribus constare partibus similitudinem nonnulam cum ecclesiae consecratione ostendentem: 1.ª qua purgantur; 2.ª qua consecrantur; 3.ª qua Deo quasi in sacrificium offeruntur cum incensi crematione. Oratio *Omnipotens Dominator* ponitur ad functionem complendam. Cantatur evangelium proinde, finita consecratione, cum qua nihil habet commune.

(162) In nonullis pontificalibus episcopus in fine benedicebat campanam dicens *Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc campanam et maneat semper.* In libro Durandi haec benedictio redacta fuit ad simplicem signum crucis silentio faciendum. o.c. tome III, pg. 536. Observa etiam quod in fine benedictio solemnis episcopi, quae solet semper adesse, desideratur. Licebit tamen episcopo benedictionem solemnem impertire post crucem a se versus campanas factam; id enim semper loci ordinario fas est.

(163) Vetere Ecclesiae jure sacerdos campanas consecrans uti debebat aqua prius ab episcopo benedicta, veluti in ecclesiae reconciliatione; hodie tamen de aqua prius benedicta nulla fit mentio in litteris apostolicis. Vide notam 145.

SECTIO VII

DE SACRA SUPELLECTILI CONSECRANDA SEU BENEDICENDA

SECTIO VII

DE SACRA SUPELLECTILI CONSECRANDA SEU BENEDICENDA

TITULUS I

DE CONSECRATIONE PATENAE ET CALICIS

CAPUT I

DE REQUISITIS EX PARTE PATENAE ET CALICIS

195 1 — **PATENA** est discus metallicus rotundus 12 ad 16 centrum. diametri; conficitur ex auro vel argento; tempore persecutionum vel ratione paupertatis ecclesiarum, patena e stanno etiam confecta toleratur, non autem ex aliis metallis. MR *Ritus servandus* I, 1, et *De defectibus* X, 1. Semper tamen requiritur, propter excellentiam Sacramenti, ut patenae argenteae vel stanneae, saltem in superiore parte, auro obducantur.

2 — In parte superiore patenae nulla apponenda est inscriptio vel ornamentatio, difficilis enim evadit ejus purificatio. Sed nec subtus justificari possunt ornamentationes, quia secumferunt periculum perditionis fragmentorum, nam difficilem reddunt purificationem corporalis; praeterea catini non solent subtus ornari.

196 1 — **CALIX** tribus componitur partibus, videlicet : cuppa, nodo et pede. Cuppam inter et nodum annulus intercedat necesse est.

Pars principalis, quae proprie consecratur, est cuppa. Secunda cuppa ad extra (gallice *fauce coupe*) utilis est et saepe adaptatur. Cuppa ita sit facta ut possit facile purificari, quod nec semper fieri potest, praesertim si sit nimis profunda, vel ornamentationibus prope oram onerata.

Nodus omnino requiritur a rubricis, est enim perutilis ad calicem intra manus firmandum, nec potest dispensari.

Pes sit amplus et firmus ne adsit periculum effusionis vini inversione calicis. Scapus est pars superior pedis cum quo unum quid efficitur.

2 — Quoad formam cuppae et pedis servari debent normae maiorum et artis sacrae leges. CJC 1296 § 3; nec licet a forma traditionali recedere. D 4371. Calices cum forma phantastica, sicut illi qui, loco pedis et nodi, habent figuram sancti vel angeli, floris, arboris, seu alterius rei quasi cuppam arripientis vel sustinentis, a rubricis reprobantur nec possunt consecrari.

3 — Quoad materiam valent ea quae dicta sunt de patena. Saltem cuppa, si sit argentea vel stannea, in parte interiore auro cooperiatur. Optandum ut calices omnes, etiam in ecclesiis pauperioribus, sint ex argento, vel saltem cuppa sit argentea.

4 — Quoad ornamentationem, ante omnia prae oculis habenda est facilitas purificationis, quae in nonnullis calicibus, qui ornamentationibus abundant, evadit difficilis, ne dicam impossibilis, quia nequeunt in manibus circuiri (164).

5 — Consecratio patenae et calicis haeret metallo et non auraturae, proinde non sunt iterum consecrandi quando denuo auro obducuntur. CJC 1305 § 2.

6 — Quod consecratur in calice est cuppa, inde si mutetur pes, vel si pes a cuppa separetur quocumque modo, calix non erit denuo consecrandus (165).

CAPUT II

DE MINISTRO, TEMPORE ET LOCO CONSECRATIONIS

197 Minister ordinarius consecrationis calicis et patenae in Ecclesia Latina est episcopus consecratus. CJC 1147 § 1.

Minister extraordinarius est sacerdos indulto apostolico munitus.

Indultum a jure conceditur tantum :

1) Patribus cardinalibus qui non sunt episcopi, ubique terrarum. CJC 239 § 1, n. 20;

2) Abbatibus vel praelatis nullius, intra sui territorii fines, ac perdurante munere. CJC 323 § 2;

3) Vicariis et praefectis apostolicis intra sui territorii fines ac perdurante munere. CJC 294 § 2.

Administratores apostolici cujuscumque territorii consulant litteras commissionis.

Conditio *intra fines sui territorii* importat in valorem consecrationis. CJC 1147 § 1. CJC IA 29 Jan. 1931.

Non raro a Congregatione Sacrorum Rituum conceditur episcopis potestatem delegandi sacerdotem, in ecclesiastica dignitate constitutum, ad calices et patenas consecrandas, quae quidem facultas solet etiam concedi speciali indulto abbatibus benedictis.

198 Calices et patenae consecrari possunt quocumque loco decenti et quocumque die, ad prudens arbitrium consecratoris (166).

Laudabiliter tamen episcopus calices et patenas in suo oratorio privato consecret statim finita missa. Vide n. *202* in fine.

CAPUT III

RITUS SERVANDUS

199 ART. I — DE PRAEPARANDIS

COLOR : diei

Mensa alba tobalea cooperta cum duobus cereis et crucifixo, super qua parentur :

Legile cum pontificali et candela.
Stola.
Mitra, si erit adhibenda.
Calices et patenae consecrandae.
Vasculum sancti chrismatis.
Gossipium in lance.
Vas ad gossipium reponendum post usum.
Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.
Medulla panis in lance.
Urceus cum aqua et pelvis.
Manutergium in lance.

Aderunt capellani duo superpelliceis induti vel saltem unus. Consecratio fit privatim.

❯ Si mitra erit ab episcopo adhibenda, eam ponit vel aufert capellanus 1us. (167).

❯ Si consecratio ad altare peragatur, calices et patenae, pontificale cum candela et sanctum chrisma, super altari parentur.

200 ART. II — PATENARUM CONSECRATIO

Invocatio et benedictio

1 — Episcopus accipit stolam circa collum (vel etiam mitram) et, dicto V. *Adjutorium nostrum,* recitat invocationem *Oremus, fratres carissimi.* Deinde (deposita mitra) benedicit patenas cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus* et accipit mitram.

Consecratio patenae

2 — Capellanus 1us. praesentat episcopo vasculum sancti chrismatis, qui accipit patenam sinistra et, intincto pollice dextero in oleo, facit unctionem duplicem in forma crucis ab ora in oram patenae desuper, recitans formulam consecratoriam, et semel illam dextera benedicens. Deinde cum ipso pollice oleum spargit per totam patenam desuper ipsam perliniens.

Pontifex repetit unctionem eodem modo super singulas patenas consecrandas.

201 ART. III — CONSECRATIO CALICUM

Invocatio et benedictio

1 — Pontifex (adhuc cum mitra) dicit invocationem *Oremus fratres carissimi* super calices; deinde deposita mitra et praemisso versu *Dominus vobiscum,* benedicit calices cum oratione *Dignare, Domine.*

Consecratio calicis

2 — Pontifex (accepta mitra) accipiens calicem in manu sinistra, intingit pollicem dexterum in sancto chrismate a 1.° capellano praesentato, et facit unctionem duplicem in forma crucis in parte interiore cuppae a labio ad labium, recitans formulam propriam cum benedictione. Deinde cum eodem pollice perungit totam cuppam intrinsecus.

Episcopus repetit unctionem eodem modo super singulos calices consecrandos.

202 ART. IV — RITUS FINALES

Oratio ad complendum

1 — Pontifex (deposita mitra) recitat collectam *Omnipotens sempiterne Deus* super calices et patenas una simul et accipit mitram.

Aspersio

2 — Capellanus tradit episcopo hyssopum cum osculis, et ipse aspergit patenas et calices modo consecratos cum aqua lustrali et reddit hyssopum capellano (168).

Lotio manuum

3 — Capellani, 2us. cum urceo et pelvi et 1us. cum medulla panis, coram episcopo se sistunt, qui manus fricat et lavat, capellano 1.° manutergium praesentante.

Episcopus, deposita (mitra et) stola, recedit in pace et extinguuntur candelae.

❯ Capellani calices et patenas consecratas lavant et abstergunt linteis mundis priusquam ecclesiis tradentur.

❯ Sacerdos, de apostolico permissu, calices consecrans, sequi debet ritum superius expositum, sed non utitur mitra, nisi sit abbas benedictus in ecclesia sua.

❯ Si qua de causa consecratio publice peragatur, episcopus utetur stola, pluviali et mitra; vel, si consecratio fit post missam lectam, deposito manipulo, mitram assumat et ad consecrationem procedat.

TITULUS II

DE SACRA SUPELLECTILI BENEDICENDA

CAPUT I

203 PRAENOTANDA

Sacra supellex... ad normam legum liturgicarum benedicta aut consecrata esse debet. CJC 1296 § 1.

1 — Sacrae supellectilis nomine in jure intelliguntur utensilia et vestes seu ornamenta personarum vel rerum quae, consecrata vel benedicta, si consecrari vel benedici debent, in cultu publico adhibentur.

In primis adnumerantur calices et patenae, quae speciali modo ab Ecclesia tractantur, de quibus in superiore titulo egimus. Deinde veniunt sacra vasa quae smae. Eucharistiae inserviunt; sacra ministrorum, sacerdotum vel pontificum indumenta; linteamina altaris; vasa pro sacris oleis; cruces altarium vel processionum; ornamenta altaris vel ecclesiae.

2 — Res, licet sacrae, uti imagines vel campanae, vel non sacrae uti organa, fontes baptismales, et cetera huiusmodi, sacrae supellectilis nomine a jure non veniunt, nec de illis in titulo XVIII agitur, sed in titulis IX, XI vel XVI libri III CJC. Neque inter sacras supellectiles adnumerari debent vestes praelatitiae, inter quas habentur rocheta, cruces pectorales, annuli.

3 — Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges. CJC 1296 § 3. Difficilis tamen hic agitatur quaestio, nostris praesertim temporibus, ubi diversis in locis valde diversa inveniuntur. De sacrarum vestium forma, data opera, egimus apud *The American Ecclesiastical Review,* April 1942.

4 — Ecclesiarum rectores, aliique quibus credita sit cura sacrae supellectilis, sedulo debent ejusdem conservationi et decori prospicere. CJC 1302.

5 — Benedictionem illius sacrae supellectilis quae ad normam legum liturgicarum benedici debet, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertiri possunt:

1.º S.R.E. cardinales et episcopi omnes.
2.º Locorum ordinarii, charactere episcopali carentes pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii.
3.º Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis.
4.º Sacerdotes a loci ordinario delegati intra fines delegationis et jurisdictionis delegantis.
5.º Superiores religiosi et sacerdotes ejusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subjectarum. CJC 1304.

Benedictio sacrae supelllectilis facta a sacerdote ultra fines delegationis, illicita est, sed valida. CJC 1147 § 3.

Qui potest benedicere sacram supellectilem pro usu ecclesiae suae, licite agit si, necessitatis causa, extra proprium territorium id facit.

6 — Sacra supellex benedictionem amittit:

1) Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam et jam ad suos usus non habeatur idonea.
2) Si ad usus indecorosos adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit. CJC 1305 § 1.

CAPUT II

204 DE BENEDICTIONE SACERDOTALIUM INDUMENTORUM

1 — Haec benedictio communis est omnibus indumentis, leviticae, sacerdotalis vel pontificalis ordinis. Invenitur etiam in RR (tit. VIII, caput 20), in quo addita fuit 3.ª oratio *Domine Deus... qui vestimenta,* quae in antiquioribus ordinibus invenitur, quaeque in PR Durandi habebatur uti benedictio optativa. Andrieu tome III, pg. 520.

2 — Sequitur alia benedictio episcopis reservata quae dicitur specialis cujuslibet indumenti et quae adhiberi licet loco praecedentis, praesertim quando speciale indumentum benedicendum est. DD 3524, II; 3533, 1 (169).

Pro benedictione chirothecarum adhibere etiam licet formam PR *Omnipotens creator* quae habetur in fine ritus consecrationis episcoporum. Ibidem legitur formula specialis *Domine Deus ...cujus praeclara bonitas* pro benedictione mitrae, sed propria est ritus consecrationis *...huius famuli tui...*

3 — Benedici debent juxta rubricam MR (pars, II, tit. 1, n.º 2) vestes in missae celebratione adhibendae, videlicet: amictus; alba cum qua benedicitur cingulum per modum unius; stola et manipulus; planeta; vel in liturgia pontificali: tunica et dalmatica seu chirothecae et mitra, caligae et sandalia.

Rubricae aliorum librorum liturgicorum de obligatione benedicendi sacras vestes tacent; vel quia supponunt haec naturaliter fieri debere, vel quia pro indumentis extra missam adhibendis benedictio non est stricte necessaria. Quidquid sit, certum est vestes sacrae sacrae fieri constitutiva Ecclesiae benedictione, et non solum usu. Proinde dicendum, saltem probabilius, omnes sacras vestes convenientissime benedici debere, ut eveniant sacrae.

CAPUT III

205 DE BENEDICTIONE MAPPARUM ET CORPORALIUM

1 — Mappae tres altaris quae missae inserviunt praeceptive benedici debent, benedictione quae in PR habetur, et quae in RR translata est. Tit. VIII, cap. 21. Haec benedictio adhiberi etiam potest pro benedictione mapparum altaris noviter consecrati, sed sufficit benedictio quae fit una cum vasis vel ornamentis ecclesiae et altaris, et quae habetur in fine consecrationis ecclesiae vel altaris. Tela cerata, licet sit mappa lintea altaris, benedici non solet.

2 — Corporalia, et pallae quae ab ipsis devenerunt, debent etiam praeceptive benedici, nam immediate inserviunt Corpori Christi. Benedictio PR invenitur etiam in RR (tit. VIII, cap. 22), et, si sint plures, fit per modum unius in singulari prout jacet. D 3524, III.

CAPUT IV

206 DE BENEDICTIONE VASORUM QUAE EUCHARISTIAE INSERVIUNT

1 — Praeter calices et patenas quae consecrantur, vascula omnia quae ad Eucharistiam adhibentur benedici debent, sunt enim pyxides quae inserviunt reservationi Sacramenti et ostensoria, quae pro expositione Eucharistica adhibentur.

2 — Benedictionem *tabernaculi* (PR et RR tit. VIII, cap. 23) recipere debent vascula omnia quae inserviunt Eucharistiae, sive agatur de illis quae hostias consecratas conservant in usu fidelium, quaeque pyxides vocantur, sive de illis quae pro hostia expositionis adhibentur, sive demum pro vasculis viatoribus in infirmorum communione adhibendis. Benedictio PR invenitur transcripta in RR. Tit. VIII, cap. 23 (170).

3 — Benedictio ostensorii quod *tabernaculum* etiam nuncupatur, recentior est, nec in PR nec in RR invenitur, sed tantum in appendice ad RR. Benedictio reservata I, 3. Nulla datur specialis benedictio pro lunula quae necessaria est ad hostiam intra ostensorium firmandam, licet directe tangat hostiam; sufficit enim benedictio ipsius ostensorii cujus est pars.

CAPUT V

207 DE BENEDICTIONE CAPSARUM PRO RELIQUIIS SANCTORUM INCLUDENDIS

Capsae seu urnae in quibus sanctorum reliquiae reconduntur benedici possunt, sed benedictio non est praeceptiva.

Formula quae in PR habetur (ante benedictionem campanae), in qua nec praefatio desideratur, prolixa est et contra regulas a RR vel PR pro benedictionibus minoribus statutas, propterea non amplius in usu venit. Andrieu PR tome III, pg. 529. In appendice ad RR (Benedictio reservata I, 4) exstat alia benedictio capsarum, juxta normas aliarum benedictionum composita, loco benedictionis PR.

CAPUT VI

208 DE BENEDICTIONE VASORUM VEL ORNAMENTORUM ECCLESIAE ET ALTARIS

1 — Vasa et ornamenta ecclesiae et altaris benedici possunt. In PR tres habentur benedictiones vasorum vel ornamentorum ecclesiae et altaris: 1.ª in fine consecrationis ecclesiae; 2.ª in fine consecrationis altaris, agitur tamen de variatione 1ae.; 3.ª quae habetur post benedictionem imaginum, quaeque in appendice ad RR apposita fuit. Benedictio reservata, I, 6.

Nullibi declaratur de quibusdam vasibus vel ornamentis agatur. Videtur tamen includi debere antependia, candelabra, thuribula, vascula pro aqua lustrali, aliaque instrumenta in divino cultu adhibenda pro quibus nulla datur specifica benedictio.

2 — Pro vasis qui inserviunt conservationi sacrorum oleorum datur benedictio specialis in appendice ad RR. Benedictio reservata I, 5 (171).

CAPUT VII

209 DE BENEDICTIONE BACULI, CRUCIS PECTORALIS, VEL ANNULI PRAELATORUM

1 — Baculus pastoralis benedici potest cum oratione *Sustentator imbecillitatis humanae,* quae habetur in ritu consecrationis episcoporum vel benedictionis abbatum.

2 — Nulla datur benedictio specialis pro cruce pectorali et adhiberi licet benedictionem crucis RR (tit. VIII, cap. 24), vel aptius benedictionem *Omnipotens Deus, qui crucis signum,* quae posita est in fine 2ae. partis PR pro illis qui proficiscebantur in defensionem Palaestinae. Vide n. 223 infra.

3 — Annuli praelatorum benedici possunt cum formula *Creator et conservator humani generis,* quae etiam habetur in ritu consecrationis episcoporum vel benedictionis abbatum.

CAPUT VIII

RITUS SERVANDUS

RR tit. VII, cap. I, n. 6

210 COLOR : diei.

BENEDICTIO PRIVATA. Pontifex benedicere potest sacram supellectilem quandocumque voluerit, convenientius tamen id facit post missam lectam, deposito manipulo, vel etiam casula.

Extra missam vero episcopus benedictiones impertiet *cum stola circa collum,* juxta rubricam in principio consecrationis calicis positam. De modo quo episcopus uti potest stola consule tom. I, n. 35.

Saltem clericus unus, superpelliceo indutus, pontifici assistit et aquam benedictam ministrat.

211 BENEDICTIO SOLEMNIS. 1 — Si benedictio fit publice et solemniter, sicut quandoque fit, praesertim in expositionibus sacrarum vestium, parabitur in capite loci mensa alba tobalea cooperta cum duobus candelabris cum cereis et cruce, vasculum aquae lustralis cum hyssopo, ritus benedictionis in folio, scotula cum candela. Aderit faldistorium sua veste coopertum vel sedes cameralis.

2 — Episcopus, super rochetum, induit amictum, stolam et pluviale, et accipit mitram; sedet et orationem adstantibus habebit prout expedire judicaverit; deinde, deposita mitra, assurgit, recitat elata voce formulas omnium benedictionum prout aderunt res benedicendae. Deinde, accepta mitra, circuit aulam, vestes et ceteras res aqua lustrali aspergens.

3 — Ad locum suum reversus, et sacris vestibus depositis, episcopus chorales vestes assumit.

4 — Dum episcopus facit aspersionem, laudabiliter canitur responsorium *Induit te Dominus,* vel antiphona *In velamento* cum ps. 62 *Deus, Deus meus,* prout in fine consecrationis altaris habetur.

NOTAE AD SECTIONEM VII

(164) Circa modum fabricandi calices consule auctores qui hac de re scripserunt, praesertim Callewaert, De MR liturgia, pars prior, cap. V. Brugis 1937 et insigne opus Joseph Braun *Das christliche Altargerät,* München 1932, qui tamen de stylo nostri temporis silet.

(165) Quidam docent, inter alios Concilium Plenarium Americae Latinae n. 899, calicem amittere consecrationem si pes, qui erat fixus cuppae, ab illa separetur, non autem si pes unitur cuppae ope spirae. Sed quidquid sit de modo quo pes cuppae ligatur, quod consecratur est cuppa et non pes, et si cuppa suam formam non perdidit, potest eodem vel novo pede ligari. Certum est calicem vel patenam consecrationem solum amittere *si tales laesiones vel mutationes subierint ut pristinam amiserint formam et jam ad suos usus non habeantur idoneae.* CJC 1305 § 1, n. 1. In dubio tamen utrum amiserint necnon consecrationem, semper licet eos sub conditione iterum consecrare.

(166) In Anglia solet pecunia dari consecratori nomine doni (10 shillings) et consecratio calicum vel patenarum ordinario reservatur; quod certe licet ubi viget consuetudo, non tamen ubi talis usus non exstat. CJC 730.

(167) Ait enim rubrica PR h.l. *Pontifex... mitram tenere poterit ubi convenit,* sed repetere juvat mitram coronam esse ceterarum vestium sacrarum, unde cum stola tantum mitram tenere non convenit; re proinde perspecta, Durandus jubet episcopum sine mitra calices consecrare. Andrieu tome III, pg. 518. Vide notam 19, tomi I.

(168) Consecratio cum sacris oleis plus est quam aspersio, et in consecratione altarium et campanarum aspersiones habentur uti praeparationes ad consecrationem; hic tamen praecipitur aspersio finita consecratione. Ratio a rubrica allata hoc loco, nimirum de aspersionibus non omittendis post benedictiones, non valet cum agatur de consecratione, tamen standum rubricis, quae ipis verbis a Durando appositae fuerunt. o.c. pg. 520.

(169) Uti videri est, in hac benedictione fit mentio de sacris vestibus ab episcopo pontificali ritu celebrando adhibendis; nulla mentio tamen de mitra et chirothecis, forsan quia pro istis specialis habetur in PR formula.

(170) In benedictione tabernaculi in quo pyxides reponuntur, adhibenda est eadem formula. RR tit. VIII, n. 23. Latine *tabernaculum* significat quamcumque rem in qua seu potius sub qua res sacra (in casu Eucharistia) conservatur, sed confusionem gignit. In CJC (1269) tabernaculum est locus ubi asservatur Sacramentum.

(171) In Pontificali Durandi exstat perpulchra benedictio ciborii seu umbraculi altaris, quae tamen e nostro Pontificali deleta est. Ex eius lectione videbit lector quomodo altare ad fruendum honoribus fidelium destinabatur.

"Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui fideli famulo tuo Moysi praecepisti ut duos Cherubin super archam testamenti collocaret, quam extensis ad alterutrum alis protegerent, versis vultibus in propiciatorium, quaesumus ineffabilem clementiam tuam, ut hoc tegimen venerandi altaris tui, in quo ipse unicus Filius tuus dominus noster Jesus Christus, qui est propitiatio pro peccatis nostris, fidelium manibus iugiter immolatur, et sub quo sanctorum corpora, quae veraciter fuerunt archa testamenti tui, receptacula videlicet mandatorum Spiritus Sancti, requiescunt, per eundem consubstantialem tibi Filium, qui factus est nobis a te sanctificatio et redemptio, in virtute Spiritus veritatis, universa antiqui hostis falsitate cum satellitibus suis depulsa, cum omnibus ornamentis ad ipsum umbraculum pertinentibus, vel ab illo dependentibus, aut eidem subpositis, tua caelesti benedic✠tione perfundere et conse✠crare digneris, atque ad tuitionem pignorum sanctorum ac roboranda sive multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conservare digneris. Annuente eodem Domino nostro Iesu Christo filio tuo, qui tecum... in unitate". Andrieu tome III, pg. 532.

SECTIO VIII

DE SACRIS IMAGINIBUS HONORANDIS

SECTIO VIII

DE SACRIS IMAGINIBUS HONORANDIS

TITULUS I

DE SOLEMNI BENEDICTIONE NOVAE CRUCIS

212 ❯ Pontificale hic tradit ritum solemnis benedictionis novae crucis cum imagine Christi affixa, adhibenda in crucibus magnis dicandis, quae praesertim sub dio a devotione populi erigi solent. Pro benedictione crucis altaris vel processionis sufficit formula minus solemnis RR, quae ex formula PR desumitur. RR tit. VIII, cap. 24. Ritus PR etsi episcopis reservatus, transcriptus fuit, sine notis praefationis tamen, in appendice recentiorum editionum RR sub titulo *Benedictio solemnior novae crucis.*

RITUS SERVANDUS

213 COLOR: ruber

PRAEPARATIO. 1 — In aliqua aula seu oratorio prope crucem benedicendam parantur sacrae vestes episcopi et ministrorum; crux cum intortitiis duobus; pontificale et candela; thuribulum cum navicula thuris, et vas aquae lustralis cum hyssopo. Ante crucem benedicendam aderit faldistorium sua veste coopertum cum pulvino.

2 — Pontifex habebit assistentiam sacrorum ministrorum sacris vestibus paratis sed sine manipulis.

3 — Aderunt, praeter caeremoniarium, clerici tres pro cruce et intortitiis; tres vel quatuor pro insignibus; duo pro thuribulo et aqua lustrali, et cantores.

4 — Pontifex induit amictum, albam cum cingulo, stolam, pluviale, et mitram auriphrygiatam; si sit loci ordinarius adhibebit etiam formale et baculum.

214 BENEDICTIO. 1 — Pontifex procedit processionaliter cum clero ad locum benedictionis, ubi sedet aliquantulum super faldistorium et omnes ad loca sua consistunt; deinde, deposito baculo et mitra, surgit, et benedicit crucem, quo sequitur ritu.

2 — Episcopus, dicto *Adjutorium nostrum* et *Dominus vobiscum,* cantat recto tono orationes *Benedic, Domine* et *Rogamus te,* dextera crucem benedicens; deinde extensis manibus ante pectus canit in tono feriali praefationem; eaque expleta, canit recto tono orationes duas *Deus, qui beatae Crucis* et *Sanctifica, Domine,* et iterum crucem dextera benedicit.

3 — Offertur episcopo thus in navicula aperta a clerico, qui coram eo se sistit flexis genibus, et praeses thus benedicit cum oratione *Domine Deus omnipotens,* clara voce sine cantu; surgit clericus et naviculam diacono tradit. Thuriferarius se sistit coram pontifice, qui incensum (sine alia benedictione) thuribulo imponit, et thuriferarius recedit ad latus dexterum.

4 — Minister de aqua lustrali se sistit a dextris diaconi, qui hyssopum episcopo tradit ad crucem aspergendam, et recedit clericus.

5 — Diaconus thuribulum episcopo tradit, qui, stans sine mitra, crucem triplici ductu adolet, facta ante et post capitis inclinatione. Thuriferarius, accepto thuribulo a diacono, recedit.

6 — Deinde episcopus, si crux sit lignea, cantat orationem *Sanctificetur;* si vero crux sit lapidea vel metallica, loco illius canit orationem *Deus gloriae,* ad benedictionem complendam.

7 — Pontifex flectit genua super pulvinum ante faldistorium, omnibus genuflectentibus, et orat aliquantulum; deinde assurgit et pedes crucifixi deosculatur, quod facit clerus et populus.

8 — Schola cantabit hymnum *Vexilla regis,* vel antiphona *O crux splendidior cunctis astris* dum clerus et populus deosculatur crucem. Interim sedet pontifex, accepta mitra, et, si placeat, exhortationem habebit prout expedire judicaverit.

9 — Laudabiliter pontifex clero et populo solemniter benedicit, et indulgentias concedit, si sit loci ordinarius.

10 — Ordine quo venerunt, revertuntur omnes ad locum vestitionis, ubi sacras deponunt vestes.

❯ Si functio sit lecta, episcopus orationes et praefationem elata voce recitabit, habebit assistentiam duorum capellanorum cum superpelliceis, et albam cum cingulo non induit, cetera fiunt ut supra.

❯ Si crux ritu RR benedicenda est, vide tomum III, n. *256.*

TITULUS II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE IMAGINIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

RITUS SERVANDUS

COLOR : albus

215 PRAEPARATIO. 1 — Functio fit cum cantu et episcopo inserviunt sacri ministri sacris vestibus induti, sed sine manipulis (172). Pontifex utitur amictu, alba cum cingulo, stola et pluviali, ac mitra auriphrygiata; si sit loci ordinarius adhibebit etiam formale et baculum.

2 — Aderunt : caeremonarius; clerici tres vel quatuor pro insignibus; clerici duo pro thuribulo et aqua lustrali; cantores seu schola. Si functio fit extra altare, aderunt clerici tres pro cruce et intortitiis.

3 — Functio peragitur ad pedes altaris vel loci ubi imago benedicenda locabitur; ibique aderit faldistorium sua veste coopertum cum pulvino; pontificale, scotula cum candela; thuribulum cum navicula thuris; vas aquae lustralis cum hyssopo.

4 — Episcopus et sacri ministri vestes sacras capiunt in sacrario; vel sacri ministri parati exspectabunt episcopum ad altare benedictionis, ubi sacras induit vestes.

216 BENEDICTIO. 1 — Pontifex paratus cum suis ministris se sistit ante altare, ubi, facta reverentia, mitram et baculum deponit et canit orationem *Deus qui de Beata,* praemissis versibus *Adjutorium nostrum* et *Dominus vobiscum.*

2 — Cantata oratione, pontifex imaginem aspergit; deinde inchoat antiphonam *Sub tuum praesidium;* et, dum cantatur, pontifex, imposito et benedicto incenso, sine mitra stans, imaginem adolet incenso tribus ductibus duplicibus, et ante imaginem consistit dum schola prosequitur stationem.

) Tempore paschali, loco antiphonae *Sub tuum praesidium* pontifex intonat *Alleluia*.

3 — Cantores antiphonae adjungent psalmum 86 *Fundamenta ejus* cum *Gloria Patri*, sed sine repetitione antiphonae. Statim cantabunt antiphonam *Ave Maria* (sine *Alleluia* post Septuagesimam) cum psalmo 122 *Ad te levavi* et *Gloria Patri*, sed sine repetitione antiphonae in fine.

4 — Finito psalmo, pontifex cantat orationem *Deus qui virginalem aulam;* deinde incipit antiphonam *O gloriosa Dei genitrix.* Cantores antiphonam complent et adjungunt cantum *Magnificat* cum *Gloria Patri.*

5 — Finito hymno, episcopus cantat iterum orationem *Deus qui de B.M.V.*, et statim alteram *Omnipotens sempiterne Deus* cum qua benedicitur imago.

6 — Pontifex, accepto hyssopo, imaginem iterum aspergit, et, reddito hyssopo, accipit mitram (173).

7 — Finita benedictione, poterit episcopus orationem habere ad populum, et, si sit loci ordinarius, praesentibus solemniter benedicit, deinde a diacono publicantur indulgentiae. Demum, sacris vestibus depositis, discedit in pace.

TITULUS III

DE BENEDICTIONE IMAGINUM ALIORUM SANCTORUM

COLOR: diei.

217 1 — Pontificale, post benedictionem solemnem imaginis Deiparae, tradit orationem *Omnipotens... qui sanctorum tuorum imagines*, pro benedictione imaginum aliorum sanctorum. Sed eadem benedictio habetur in capite 25 tituli VIII RR pro quacumque imagine etiam Christi Domini vel Beatae Mariae Virginis, quae quidem benedictio in ultima editione typica (1925) vocatur solemnis. Rubrica RR explicat titulum dicens *Si imagines publicae venerationi expositae, solemniter benedicantur, haec benedictio ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere. Privatim autem haec benedictio a quolibet sacerdote fieri potest.*

2 — Ut imagines benedici possint, requiritur ut sint sanctorum vel beatorum et juxta probatum usum et sensum Ecclesiae confectae, de qua re judex est ordinarius. CJC 1277 et 1279.

3 — Pro hac benedictione sufficit ut episcopus stolam habeat circa collum. Vide Prolegomena, tom. I, n. 35. Si vero episcopus velit solemniter ritum perficere utetur amictu, stola, pluviali et mitra; assistentiam habebit duorum capellanorum, et, si benedictio fit extra ecclesiam, aderit crucifer cum intortitiis.

TITULUS IV

DE SOLEMNI CORONATIONE IMAGINIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

CAPUT I

218 PRAENOTANDA

1 — RITUS. Usu venit, praesertim post legatum Capitulo sacrosanctae Basilicae Vaticanae factum ab Alexandro Comite Sfortia Pallavicini, ut sacrae imagines Beatae Mariae Virginis per orbem celebriores solemni ritu coronarentur. Ritus coronationis, olim a capitulo Vaticano editus, revisus iterum editus fuit die 29 Martii 1897 a SRC, et in supplemento PR appositus. Coronatio fit semel pro semper, nec erit iteranda (174).

2 — RESERVATIO. Ritus non est censendus absolute Capitulo Vaticano vel Summo Pontifici reservatus, cum nulla fiat mentio de reservatione; fieri proinde potest etiam a loci ordinario.

Cum vero agatur de imaginibus celebrioribus prodigiis et fidelium veneratione, coronatio, juxta usum receptum, privativa est Capituli Basilicae Vaticanae, vel ipsius Summi Pontificis, prout coronatio fit nomine et auctoritate Capituli Vaticani vel Apostolicae Plenitudinis. Capitulum Vaticanum solet delegare episcopum loci ordinarium vel metropolitam ad ritum perficiendum, cum potestate subdelegandi.

3 — MINISTER. Ritus coronationis est pontificalis et fieri debet vel ab episcopo vel a SRE cardinali.

4 — MISSA. Licet celebratio missae non sit praeceptiva, convenientissime tamen coronatio fit post missam solemnem (175).

5 — DIES pro coronatione seligendus est aliqua festivitas Beatae Mariae Virginis; quod si fieri nequit, episcopus permittere potest missam votivam solemnem de Beata pro re gravi et publica cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione, juxta rubricas MR. Coronatio fieri nequit a Septuagesima ad sabbatum Sanctum ob vetitum cantum *Regina caeli* eo tempore.

6 — LOCUS. Coronatio generatim fit in ipsa ecclesia in qua imago veneratur, sed non prohibetur, rationabili de causa, dummodo imago sit facile transportabilis, ut fiat in ecclesia principali loci, si ecclesia imaginis sit secundaria.

7 — CORONAE. Si, praeter imaginem Mariae, adest imago Pueri Jesu, ambae sunt coronandae. Coronae aureae fieri debent juxta mensuram uniuscujusque capitis, ut possint bene firmari.

8 — TRIDUUM. Decet ut coronatio praeparetur cum triduanis vel novendialibus exercitiis in honorem Deiparae.

CAPUT II

219

RITUS SERVANDUS

COLOR: albus

ART. I — CUM MISSA PONTIFICALI AD THRONUM

Praeparanda

1 — Praeparentur quae necessaria sunt pro missa pontificali ad thronum.

Super abaco seu mensa aderit corona benedicenda (seu coronae benedicendae) super pulvino; ritus coronationis; vasculum aquae lustralis.

Imago coronanda praeparabitur cum candelis seu floribus retro post altare maius vel ubi commodius, juxta loci dispositionem.

Praevideatur ut episcopus possit facile ad imaginem accendere cum suis ministris ad eam incoronandam; aderit, si necesse sit, amplum scabellum gradatum.

Clerus inserviens

2 — Ministri missae etiam coronationi inserviunt.

Missa

3 — Missa celebrabitur de Beata, et omnia fiunt more solito usque ad finem missae.

Vestium mutatio

4 — Expleta missa, episcopus, ad thronum reversus, deponit manipulum et casulam, et induit pluviale cum formali et mitram pretiosam.

Sacri ministri, depositis manipulis, inserviunt in mutatione vestium episcopi, recedentibus diaconis assistentibus.. Finita vestitione, assistentes ad loca sua revertuntur et sacri ministri ad scamnum recedunt.

Litterarum lectio

— Caeremoniarius 1us. vel notarius litteras apostolicas vel Capituli Vaticani clara voce legit lingua latina, deinde vernacula; dum litterae apostolicae latine leguntur, stabunt omnes.

Benedictio coronarum

6 — Ministri de libro et scotula ad thronum accedunt et post eos minister ferens pulvinum cum corona seu coronis. Ministri de thuribulo et de aqua lustrali se sistunt a dextris throni.

Diaconus assistens 2us. mitram episcopo aufert, qui assurgit et recitat antiphonam *Sub tuum praesidium*, deinde addit versus *Adjutorium nostrum* et *Dominus vobiscum*, et benedicit coronas cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, clara voce sine cantu. Advertat episcopus ut loco 1mae. orationis dicat 2am. si corona Pueri Jesu non erit benedicenda.

Earum aspersio et incensatio

7 — Deinde sedet pontifex et a 1.° diacono induitur mitra; ministri de libro et scotula recedunt, et accedit thuriferarius. Pontifex cum consueta formula incensum benedicit et thuribulo imponit, presbytero assistenti naviculam ministrante, et recedit thuriferarius versus dexteram throni.

Dein assurgit pontifex cum mitra, et clericus cum aqua lustrali se sistit a dextris presbyteri assistentis, qui aspersorium tradit pontifici, qui coronas aspergit et reddit hyssopum diacono, hic clerico qui ad dexteram throni se sistit.

Thuriferarius se sistit a dextris presbyteri assistentis, qui thuribulum tradit pontifici, qui coronas thure adolet duplici ductu ac reddit thuribulum presbytero et sedet. Clerici de aqua et de thuribulo recedunt ad latus epistolae, qui de aqua vero vasculum super abacum deponit.

Coronae super altare locatio

8 — Minister cum coronis, facta genuflexione pontifici, recedit et ad altare accedit, ubi, iterata genuflexione, ascendit et pulvinum cum coronis super altare a latere evangelii ponit, vel in medio si aderit locus, et ad abacum redit.

› Si amago non adest super altari sed retro post ipsum, minister cum coronis se sistit prope imaginem coronandam.

Interim caeremoniarius 2us. pulvinum super infimum altaris gradum ponit.

Presbyter et diaconi assistentes de throno descendunt, sacri ministri ad illum accedunt, et, una simul factis debitis reverentiis, recedunt illi ad loca sua in choro, dum isti ad thronum ascendunt.

Coronatio

9 — Pontifex, accepto baculo, assurgit, et, medius inter sacros ministros, sequentibus ministris de insignibus, pergit ad altare ubi facit cruci debitam reverentiam.

Pontifex, reddito baculo, nudatur mitra a diacono et nixus genibus, omnibus geneflectentibus, intonat hymnum *Regina caeli, laetare et* surgit, surgentibus omnibus. Schola inceptum hymnum perficiet, et caeremoniarius 2us. pulvinum e gradu altaris amovet.

Expleto hymno, pontifex, solus cum sacris ministris, ad altare ascendit, et, accepta corona Pueri Jesu, illam super caput imaginis ponit, dicens clara voce sine cantu *Sicuti per manus nostras.* Deinde accipit coronam maiorem, eamque super caput imaginis Mariae ponit, dicens eadem voce *Sicuti per manus nostras* et descendit in planum cum suis ministris (176).

Dum fit coronatio, subdiaconus tenebit tabellam seu ritum coronationis in commodum pontificis.

Incensatio imaginis

10 — Thuriferarius se praesentat, et episcopus, ministrante diacono, incensum benedicit et thuri-imponit. Deinde, accepto thuribulo, stans sine mitra et facta prius et postea profunda capitis inclinatione, imaginem triplici ductu adolet, et reddit thuribulum diacono. Thuriferarius, accepto thuribulo a diacono, ad sacrarium recedit officio suo expleto.

› Si imago non sit super altari sed alibi, ad eam pergit pontifex cum sacris ministris, accepta mitra et baculo, praecedente ministro cum coronis, sequentibus ministris de insignibus; et post coronationem iterum eodem modo ante altare maius revertitur.

Oratio ad complendum

11 — Sacri ministri librum tenebunt ante pontificem, qui cantabit versus *Corona aurea* et *Coronasti eam,* adjungens orationem *Praesta, misericors Pater* ad coronationem complendam.

Te Deum

12 — Ibidem ante altaris gradus, pontifex in gratiarum actionem intonat hymnum *Te Deum,* qui a schola et clero alternatim cantabitur.

Expleto hymno, sacris ministris librum tenentibus, pontifex cantat orationem finalem *Deus, cujus misericordiae non est numerus,* praemisso versu *Dominus vobiscum.*

Pontifex a diacono induitur mitra et accipit baculum, deinde, facta reverentia cruci, medius inter suos ministros, ad thronum revertitur, ubi sedet et reddit baculum.

Indulgentiae et benedictio

13 — Si aderit breve apostolicum indulgentiam plenariam elargiens, a 1.° caeremoniario sive a notario legatur; quo lecto, pontifex populo solemniter benedicit.

› Si breve apostolicum non habeatur, benedictione impertita, presbyter assistens ad thronum accedit et indulgentias in forma consueta legit.

Discessus

14 — Pontifex more solito sacras deponit vestes, et, postquam dimisit sacros ministros cum benedictione, discedit in pace.

› Dum imago actu coronatur festivo more pulsentur sacra aera turris.

› Si ordinarius vel metropolita velit missae solemni ab alio praelato celebratae interesse, et postea ad coronationem procedere, sacris indutus vestibus missae assistat. Finita missa, recedit celebrans cum suis ministris, et assistentes throni locum suum cedunt sacris ministris paratis sacris vestibus, qui throno et altari inserviunt; cetera fiunt ut supra.

220 ART. II — AD THRONUM VESPERTINIS HORIS

Praeparatio 1 — Sacri ministri sacris vestibus induti cum biretis exspectabunt adventum episcopi ad scabella a latere epistolae.

Adventus episcopi 2 — Pontifex, cappa indutus, ad ecclesiam accedit, servatis de more servandis et ad thronum ascendit.

Sedet pontifex et caput bireto cooperit. Sacri ministri cum debitis reverentiis ad scabella throni accedunt.

Vestitio episcopi 3 — Pontifex, deposito bireto et cappa, et explicata, si placet, extremitate habitus talaris, a sacris ministris induitur amictu, alba cum cingulo, cruce pectorali, stola et pluviali, ac formali si sit ordinarius; denique a diacono cooperitur mitra pretiosa.

Lectio litterarum 4 — Sedent sacri ministri et clerus, et caeremoniarius 1us. seu notarius in medio presbyterio vel in ambone legit litteras Capituli Vaticani latino et vernaculo idiomate. Sed stat clerus, si litterae apostolicae erunt legendae et sedet ad earum lectionem in vernaculo.

Benedictio coronae et coronatio 5 — Benedictio coronae et coronatio fit ut in art. I, sed diaconus ministrans aufert et imponit mitram, incensum et aspersorium ministrat, etiam ad thronum, nam presbyter ac diaconi assistentes non inserviunt.

Te Deum 6 — Finita coronatione, pontifex, stans ante altare, intonat hymnum *Te Deum* in gratiarum actionem et omnia fiunt ut in art. I.

Indulgentiae et benedictio 7 — Omnia fiunt ut in art. I, sed si non habetur breve apostolicum, indulgentias publicabit diaconus ministrans.

Discessus 8 — Pontifex, sacris dimissis vestibus, benedicit ministris qui discedunt; deinde, accepto habitu chorali, discedit in pace.

221 ART. III — CUM MISSA PONTIFICALI AD FALDISTORIUM

Missa 1 — Missa celebrabitur de Beata more solito ut in art. 1.°.

Post missam 2 — Finita missa, sacri ministri deponunt manipulos, et pontifex, deposito manipulo et casula, accipit pluviale et mitram pretiosam, ac sedet in faldistorio. Presbyter assistens, debitis cum reverentiis, recedit et deponit pluviale, cum expleverit munus suum.

Caeremoniarius 1us. coronas super pulvinum desuper altare ponit, et deinde legit litteras quae legendae sunt, nisi adsit notarius.

Benedictio coronae 3 — Pontifex nudatur mitra a diacono et se vertit ad altare cum sacris ministris, oras pluvialis ejus tenentibus. Ministri de libro et candela se sistunt coram pontifice qui recitat clara voce sine cantu antiphonam *Sub tuum praesidium,* adjectis versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus,* qua benedicuntur coronae: advertat ut loco 1mae. orationis, dicat 2am. si una tantum adest corona.

Iterum se vertens sedet pontifex, accepta mitra, et, diacono naviculam ministrante, incensum ponit in thuribulum cum benedictione. Iterum surgit pontifex cum mitra et, se vertens, coronam seu coronas aspergit, et deinde eas thurificat duplici ductu, diacono hyssopum et thuribulum ministrante.

❯ Si altare plusquam tres gradus habeat, ita ut pontifex nequeat convenienter coronas aspergere in plano stans, ascendit ad predellam ad illas benedicendas, ibique stans benedicit incensum, et coronas aspergit atque thure honorat.

Coronatio 4 — Caeremoniarius ponit pulvinum super infimum gradum altaris et episcopus, medius inter sacros ministros, ante infimum gradum se sistit, ubi nixus genibus procumbit, omnibus genuflectentibus, et intonat antiphonam *Regina Caeli.* Statim assurgunt omnes et exspectant quousque finiatur cantus. Caeremoniarius pulvinum amovet.

Pontifex solus cum suis ministris ascendit ad predellam, ibique coronat imagines ut in art. I, subdiacono librum tenente.

Descendit deinde pontifex in planum, ubi, posito et benedicto incenso, imaginem stans sine mitra triplici ductu adolet.

Sacri ministri librum tenebunt utrimque ante pontificem pro cantu versiculorum et orationis finalis.

Te Deum 5 — Cantabitur *Te Deum* ut in art. I, et, oratione cantata, episcopus accepta mitra, revertitur ad faldistorium et sedet.

Indulgentiae et benedictio 6 — Lectis litteris indulgentias concedentibus, si quae sint, pontifex populo solemniter benedicit, et, depositis vestibus sacris, salutatur a sacris ministris qui recedunt.

Discessus 7 — Pontifex, accepta veste chorali, recedit in pace.

222 ART. IV — AD FALDISTORIUM VESPERTINIS HORIS

Praeparatio 1 — Faldistorium locabitur in medio presbyterio, duos tresve passus ab altari, cum duobus scabellis utrimque pro sacris ministris.

Pontifex induetur vestibus sacris ut in art. II, excepto formali, nec utetur baculo; sacri ministri inserviunt uti in art. III.

Benedictio coronae 2 — Lectis litteris legendis, diaconus aufert mitram episcopo, qui surgit et se vertit cum suis ministris ad altare. Ministri de libro et scotula se praesentant et episcopus coronas seu coronam benedicit; deinde sedet, accipit mitram, incensum thuribulo imponit cum benedictione, assurgit, et, iterum versus ad coronas, eas aspergit, ac demum duplici ductu thure adolet; iterum se vertit et sedet.

❱ Si necesse sit, pontifex poterit ad altare ascendere ad coronas benedicendas ut in art. III dictum est.

Cetera omnia 3 — Coronatio, *Te Deum* et cetera fiunt ut in art. III.

NOTAE AD SECTIONEM VIII

(172) Sacros ministros paratos adesse debere si benedictiones novae crucis vel imaginis B.M.V. fiant solemniter cum cantu diximus, juxta rubricam MR *Dalmatica et tunicella utuntur diaconus et subdiaconus... in benedictionibus quando sacerdoti ministrant.* Rub. gen. XIX, 5. Hae duae benedictiones, sicut etiam coronatio imaginis B.M.V. speciali solemnitate gaudent.

(173) Ritus benedictionis solemnis imaginis B.M.V. difficile subjicitur analysi. Nam in principio habes orationem *Deus qui de Beatae.* Imago incensatur et aspergitur antequam benedicatur, contra usum tum PR tum RR pro benedictionibus minoribus. Sequitur prolixa statio ante imaginem cum tribus antiphonis, psalmis et *Magnificat,* in cujus fine repetitur oratio habita in principio, seu fit bis de eadem. His expletis, benedicitur imago, quae denuo aspergitur! Rectius erit si post benedictionem, qua imago in statu sanctificato constituitur, fieret aspersio et incensatio, et demum statio ante illam, cum oratione finali ad ritum complendum. PR ordinem Durandi mutavit. Andrieu tome III, pg. 525.

(174) Juxta legatum Alexandri comitis Sfortiae Pallavicini in suo testamento diei 3 Julii anni 1636, debet Capitulum Patriarchalis Basilicae Vaticanae quotannis coronam auream offerre imaginibus Beatae Mariae Virginis per orbem celebrioribus, ut coronentur nomine et auctoritate Capituli. Apud Catalanum (PR vol. 2, pg. 413, 2ae. ed.) habes nomina imaginum quae usque ad annum 1732 coronatae fuerunt. Postea invaluit mos ut non solum imagines quae privilegium habuissent accipiendi coronam a Capitulo, sed etiam aliae plurimae, quibus coronae a fidelibus darentur, etiam nomine et auctoritate Capituli, aurea corona decorarentur. Sic nostris diebus perplurimae imagines coronatae fuerunt. Apud Cenci (Il Cardinale Merry del Val, Romae, 1933, pg. 837) invenies catalogum imaginum a Capitulo Vaticano coronatarum, tempore quo praeclarus princeps Ecclesiae archipresbyteri Basilicae munus obivit. Sed quandoque coronatio fit litteris apostolicis et nomine Summi Pontificis. Ita recentissime coronata fuit imago B.M.V. *De la Délivrance* in oppido *Quentin,* Dioecesis Briocensis. AAS 1934, pg. 223.

(175) Juxta ritum coronationis a SRC approbatum, missa est ad libitum celebranda, dicitur enim *si pontifex missam celebrare voluerit.* Praeterea rubrica supponit coronationem fieri ante missam, et *Te Deum* post missam, si celebratur. Contra, ritus olim a Capitulo Vaticano editus dicit *post missam delegatus... coronam... imponit.* Apud Catalanum h.l. ed. 1.ª pg. 286. Benedictio tantum coronae fiebat ante missam. Pius Papa XI, in litteris *Uti ad nos* datis episcopo Briocensi,

mandavit ut coronatio fieret *post missarum solemnia*. AAS 1934, pg. 224. Praeterea cum in ritu approbato celebratio missae non est praeceptiva, sequitur coronationem fieri posse expleta missa.

Proinde, ut sequamur antiquum ordinem Basilicae et verba Pii Papae XI, posuimus coronationem post missarum solemnia, qui quidem modus magis consentaneus videtur; nam cantus *Te Deum* venit uti spontanea manifestatio gaudii, immediate post coronationem, quod non consequitur si coronatio fit ante missam et hymnus cantetur expleta missa.

(176) A littera rubricarum discessimus semel et iterum. Nam rubrica initialis jubet episcopum ad predellam ascendere ad coronas benedicendas, et sedere ad incensum thuribulo injiciendum. Sed quomodo potest episcopus sedere in suppedaneo si ibi nulla adest sedes? Nec adportandum erit faldistorium pro hac caeremonia tantum, nam pontifex, quando incensum thuribulo intra missam imponit, stans id facit.

Rubrica non distinguit inter functionem throni et faldistorii, sed sequimur MM, qui docet episcopum in throno coronas benedicere, si eius usu gaudeat, cum melior evadat ritus, ad altare vero si throno non utatur.

Rubrica coronationis jubet pontificem accipere mitram pro ascensione graduum altaris vel cum descendit. Iterum sequimur MM cui visum fuit supervacaneum induere mitram ad tres gradus ascendendos vel descendendos, quod certe non fit in aliis functionibus; mitram recipit episcopus ante et post coronationem tamen, si debet extra altare pergere.

SECTIO IX

RITUS MINORES DIVERSI

SECTIO IX

RITUS MINORES DIVERSI

TITULUS I

223 DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE CRUCIS PROFICISCENTIBUS IN RECUPERATIONEM TERRAE SANCTAE

In fine 2ae. partis PR habetur benedictio et impositio crucis proficiscentibus in defensionem Fidei christianae seu recuperationem Terrae Sanctae. Ritus constat benedictione crucis, oratione super recepturum crucem, ejusque impositione.

Qui ad Terram Sanctam defendendam et ad fidem propagandam se vovebant, antequam proficiscerentur, ab episcopo benedici et crucem ab eodem solemni ritu recipere solebant, ritus tamen obsolevit. Sed exstat, apud nonnullas missionariorum congregationes, ritus dimissionis illorum, qui ad propagandum evangelium in dissitas regiones pergunt Pro illis ritus PR benedictionis et impositionis crucis optime inservit, et certe praeferendus est aliis recentioribus compositionibus.

Formula benedictionis *Omnipotens Deus, qui crucis signum* inservire potest in benedictione crucis pectoralis praelatorum, vel pro alia quacumque cruce portatili benedicenda.

Si haec benedictio fit modo solemni, pontifex induetur stola et pluviali rubri coloris ac mitra; si vero vero fiat sine solemnitate, habebit tantum stolam circa collum. Vide tom. I, n. *35*.

TITULUS II

DE BENEDICTIONIBUS RERUM BELLICARUM

224 Tres habentur benedictiones rerum bellicarum, nimirum armorum, ensium et vexillorum, quae quidem benedictiones propriae sunt PR, nec in RR habentur.

BENEDICTIO ARMORUM inservit pro armis quae milites christiani induere vel secumferre solebant, cum ad pugnandum ibant pro Ecclesia vel justitia, hodie tamen haec benedictio obsolevit.

225 BENEDICTIO ET TRADITIO ENSIS. Duae habentur formulae in PR pro benedictione et traditione ensis sive gladii : una cum benedictione novi militis in fine 1ae. partis; altera in fine 2ae. partis invenitur. Antiquissimus est usus benedicendi enses, qui non solum instrumenta sunt bellica, sed etiam symbolum auctoritatis quae a Deo hominibus conceditur, ad actus malos reprimendos et puniendos, dicente Paulo *Non enim sine causa praepositus portat gladium.* Ad Rom. XIII, 4. Hac de causa solebant summi pontifices, una cum nobili pileolo, enses in nocte nativitatis Domini benedictos principibus christianis mittere, quasi in signum recognitionis potestatis quam ipsi a Deo acceperunt. Vide Mac Swiney de Mashanaglass, *Le Portugal et le Saint-Siège. L'Epée et le chapeau ducal,* Paris, 1898; Moroni, tom. 70, pg. 39; CR tom. II, pg. 91.

226 USUS HODIERNUS. In nonnullis nationibus, uti in Brasilia, solent illi qui, post studiorum curricula, praefecti militum renunciantur, una simul sacris interesse et enses suos noviter receptos pontifici praesentare ut ipse eos benedicat; laudabilis quidem usus! Pro hac solemni ensium benedictione servare potest qui sequitur ritus.

1 — Pontifex, orationibus post missam omissis et deposito manipulo, sedet in faldistorio et accipit mitram auriphrygiatam, vel etiam, deposita

casula, induit pluviale, et exhortationem solemnitati congruam ad milites habebit; qui deinde se sistunt in ordine sive in corona coram episcopo et enses suos evaginabunt, et tenebunt, ad terram versos, in dextera manu.

2 — Pontifex, deposita mitra, surgit et enses benedicit cum formula *Bene + dicere digneris,* deinde eos aspergit aqua lustrali.

3 — Sedet praeses, accipit mitram et dicit in plurali pro omnibus *Accipite enses istos,* sed post verba *ad defensionem tuam* addit *et huius nationis,* et deinde *ac Sanctae Dei Ecclesiae* usque ad finem. Demum milites ad loca sua revertuntur, et episcopus, sacris vestibus depositis et acceptis choralibus, recedit in pace.

❯ Licet etiam enses super mensam a dextris altaris ponere, et illos ibi benedicere et aspergere. Milites, unus post alium, deinde ad episcopum accedunt, et singulis episcopus ensem tradit dicens *Accipe ensem* etc.

227 BENEDICTIO ET TRADITIO VEXILLI BELLICI. Hodie solent nationes vexillum proprium habere tempore belli vel pacis, quod vexillum nationale nuncupatur, et dici nequit *Bellico usui praeparatum;* nulla tamen exstat formula pro vexillo nationali benedicendo; inservire proinde debet formula haec PR, illis forsan omissis verbis (177).

TITULUS III

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAE FRONTEM ET SIGNUM CRUCIS SUPER EAM ERIGENDUM

228 Hic ritus approbatus fuit a SRC die 12 Februarii 1887. Locum, in PR non habet, sed tantum in supplemento appendicis.

Crux nova super frontem ecclesiae posita benedici potest cum formula RR, tit. VII, cap. 24. Si vero frons nova aedificata fuit, eo ipso evadit pars ecclesiae consecratae vel benedictae, nec nova indiget benedictione; nam demolitione frontis, ecclesia consecrationem vel benedictionem non amittit. Latet proinde ratio cur haec benedictio locum in supplemento ad PR invenerit.


Ritus excerptus fuit partim e ritu consecrationis ecclesiae, partim e ritu benedictionis novae crucis. Benedictio incensi pro thuribulo extra missam fit semper cum formula *Ab illo benedicaris.* Formula *Domine Deus omnipotens* propria est ritus cremationis incensi super altare noviter consecratum, sed e ritu consecrationis altaris transivit ad ritum benedictionis novae crucis, a quo sumpta fuit et huic ritui apposita. Juxta rubricam sacri ministri induti erunt vestibus albi coloris, sed intellige tantum stola pro diacono; nam ritus repetitio est primae partis consecrationis ecclesiae, et si dalmaticae non sunt tunc adhibendae, a fortiore adhiberi non debent in benedictione frontis.


NOTA AD SECTIONEM IX

(177) Ritus benedictionis et traditionis vexilli bellici, prout in PR legitur, solemni modo servatus est Flumine Januario in Brasilia, quando Petrus I, nixus genibus coram loci ordinario, Josepho Caetano da Silva Coutinho, vexillum novi Brasiliae Imperii, modo benedictum, ab eo recepit.

LAPIS FUNDAMENTALIS ECCLESIÆ ÆDIFICANDÆ

I





PRIMARII LAPIDIS BENEDICTIO II

AD LITANIAS

(F)

(A) - CRUX LIGNEA UBI ALTARE ERIT AEDIFICANDUM

(E) LOCUS PRIMARII LAPIDIS

SCHOLA

(A)

(E)

(C) (C)

(B)

(D)

SD

MD

CLERUS

CLERUS

C C

(F) LINEAE PUNCTA FUNDAMENTORUM ASPERSIONES DESIGNANT:

(I) — INITIUM 1ae PARTIS

(II) — INITIUM 2ae PARTIS

(III) — INITIUM 3ae PARTIS

(B) STRATUM LIGNEUM TAPETO COOPERTUM

(F) II

(C) - MENSA


FIDELES

(D) FUNDAMENTA DELINEATA PER CIRCUITUM

III (F)

III

SEPULCRUM ALTARIS




RELIQUIARUM CAPSULA

ECCLESIÆ CONSECRATIO

IV


1)• AD ANTIPHONAM ADESTO




ECCLESIÆ CONSECRATIO

V

2) • ASPERSIONES






ECCLESIÆ CONSECRATIO

VI


3) • VENI CREATOR CUM LITANIIS ET ALPHABETA



(M) – MENSA AD AQUAM GREGORIANAM CONFICIENDAM

ECCLESIÆ CONSECRATIO

4) • ORDO IN RELIQUIARUM PROCESSIONE



ECCLESIÆ CONSECRATIO

VIII


5)• INCENSATIONES ALTARIS

INCENSATIONUM ORDO

(1) – RELIQUIAE IN SEPULCRO INCENSANTUR – *SUB ALTARE DEI SEDES*

(2) – THURIS OFFERTORIUM SEU ALTARIS INCENSATIO ORDINE IN MISSA SOLEMNI SERVATO – *STETIT ANGELUS*

(3) – INCENSATIO AD QUINQUE CRUCES MENSAE



(4) – ALTARE TER PER CIRCUITUM INCENSATUR – *DIRIGATUR*

(5) – ALTARE SEMEL PER CIRCUITUM INCENSATUR POST UNCTIONEM AD CRUCES CUM OLEO – *DIRIGATUR*

(6) – INCENSATIO POST 2am UNCTIONEM AD CRUCES CUM OLEO ITERATUR – *DIRIGATUR*

(7) – INCENSATIO POST UNCTIONEM AD CRUCES CUM CHRISMATE REPETITUR – *DIRIGATUR*

(8) – TER SUPER ALTARI A DEXTRIS (EVANGELII) ET TER A SINISTRIS (EPISTOLAE) INCENSAT (PARIETUM UNCTIONE EXPLETA) *AEDIFICAVIT MOYSES*


(9) – TER IN MEDIA MENSA IN FORMA CRUCIS IN FINE VESTITIONIS ALTARIS INCENSAT – *OMNIS TERRA*

ALTARIS INCENSATIO AD ANTIPHONAM *AEDIFICAVIT MOYSES* IN CONSECRATIONE ALTARIS SINE ECCLESIA OMITTITUR

ECCLESIÆ CONSECRATIO

IX


6)• CONSECRATIO ALTARIS – EREXIT JACOB



X


ECCLESIÆ CONSECRATIO

7) • UNCTIONES AD PARIETES



XI


AULA PRO ALTARIUM PORTATILIUM CONSECRATIONE



(A) – ALTARE CUM RELIQUIIS
(B) – MENSA CUM LAPIDIBUS
(C) – LEGILE CUM PONTIFICALI
(D) – LEGILE HASTATUM
(E) – MENSA AQUAE GREGORIANAE
(F) – ABACUS
(G) – FALDISTORIUM

CŒMETERII BENEDICTIO XII

1) • LOCI DISPOSITIO




(A) – SCAMNA PRO CLERO
(B) – MENSA AD AQUAM LUSTRALEM CONFICIENDAM
(C) – ABACUS BENEDICTIONIS
(D) – STRATUM CUM FALDISTORIO
(E) – SCABELLUM GRADATUM
(F) – LIGNUM IN FORMA T CUM CANDELIS

CŒMETERII BENEDICTIO

XIII

2) • AD LITANIAS




(A) – ABACUS
(B) – MENSA
(C) – ASPERSIO

XIV

LOCI DISPOSITIO

PRO CAMPANARUM CONSECRATIONE





(A) – STRATUM LIGNEUM CUM FALDISTORIO
(B) – SEDILIA PRO PATRINIS
(C) – FOCI CUM IGNE ARDENTI
(D) – LEGILE HASTATUM PRO EVANGELII CANTU
(E) – LEGILE HASTATUM PRO CANTORIBUS
(F) – MENSA AQUAE LUSTRALIS
(G) – ABACUS

TOMUS II

INDICES

TOMUS II

RERUM CONSPECTUS

Sectio I

DE BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA AEDIFICANDA

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Titulus II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS ECCLESIAE

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

CAPUT IV

Ritus servandus

CAPUT V

De officio et missa dedicationis et de indulgentiis concedendis

Titulus III

DE SOLEMNI CONSECRATIONE ALTARIS SOLIUS

CAPUT I

CAPUT II

De praeparandis pro altaris consecratione

CAPUT III

Ritus servandus

CAPUT IV

De missa et indulgentiis

Titulus IV

DE RITIBUS ALIQUANDO ADHIBENDIS

CAPUT I

De consecratione plurimorum altarium ab eodem pontifice cum vel sine ecclesia

CAPUT II

De consecratione ecclesiae quando altaria minora simul ab aliis praelatis consecrantur

CAPUT III

De consecratione ecclesiae insignis seu magnae molis

CAPUT IV

De consecratione lecta ecclesiae vel altarium

CAPUT V

De consecratione altaris cujus sepulcrum construitur in medietate stipitis

CAPUT VI

Titulus V

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

CAPUT I

CAPUT II

Sectio III

DE ALTARIUM PORTATILIUM CONSECRATIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

CAPUT V

Titulus II

DE CONSECRATIONE LECTA ALTARIUM PORTATILIUM PUBLICE FACIENDA

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus III

FORMULA BREVIS CONSECRATIONIS ALTARIUM PORTATILIUM

CAPUT I

CAPUT II

Sectio IV

DE SOLEMNI COEMETERIORUM BENEDICTIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

CAPUT II

Titulus II

DE SOLEMNI BENEDICTIONE COEMETERII

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Sectio V

DE ECCLESIARUM SEU COEMETERIORUM RECONCILIATIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Titulus II

DE SOLEMNI RECONCILIATIONE ECCLESIAE CONSECRATAE

CAPUT I

CAPUT II

De praeparandis

CAPUT III

Ritus servandus

CAPUT IV

CAPUT V

Titulus III

DE SOLEMNI RECONCILIATIONE COEMETERII

CAPUT I

De praeparandis

CAPUT II

Ritus servandus

CAPUT III

Sectio VI

DE CAMPANARUM CONSECRATIONE

Titulus I

PROLEGOMENA

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Titulus II

RITUS SOLEMNIS CONSECRATIONIS UNIUS VEL PLURIMARUM CAMPANARUM

CAPUT I

CAPUT II

De praeparandis

CAPUT III

Ritus servandus

CAPUT IV

Sectio VII

DE SACRA SUPELLECTILI CONSECRANDA SEU BENEDICENDA

Titulus I

DE CONSECRATIONE PATENAE ET CALICIS

CAPUT I

CAPUT II

CAPUT III

Ritus servandus

Titulus II

DE SACRA SUPELLECTILI BENEDICENDA

CAPUT I

TOMUS II

NOTARUM INDEX

IMPRENSA NACIO